3

IN LAUDES

ORDINIS MINIMORUM

ORATIO

ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATA


DICTA FLORENTIÆ

PRO SOLEMNI

COMITIORUM GENERALIUM

CELEBRATIONE





ROMÆ MDCCLXIV.

EX TYPOGRAPHIA MARCI PALEARINI

PRÆSIDUM PERMISSU

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI


CAROLO REZZONICO

CARDINALI AMPLISSIMO

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CAMERARIO

ORDINIS MINIMORUM PROTECTORI BENEVOLO

FR. JACQUIER EX MINIMORUM FAMILIA



LERIQUE Scriptores qui magnis Virorum Principum nominibus libros ſuos nuncupare atque dedicare audent, varias cur id faciant rationes cauſaſque longiùs accerſere atque, ut ità dicam, emendicare conſueverunt. Ego verò EMINENTISSIME PRINCEPS, qui hoc opuſculum, te Auſpice, in lucem emittere confido, ſupplicibus prolixioribuſque verbis quibus me excuſatum habeas, vix indigere mihi videor. Hujus libelli argumentum te patronum invocat ſibique

ſibique proprio veluti jure vendicat. Agitur enim de Familia noſtra cujus Patrocinium ſuſcepiſti, & pro tua in Nos propenſiſſima voluntate, & pro ſingulari ex noſtris Annalibus noſtriſque animis nulla die obliterando beneficio SS. Patrui tui CLEMENTIS XIII. Pontificis Maximi, qui Ordinem noſtrum tam præclaro honore augere ampliſſimoque munere cumulare voluit. Agitur de Generalibus noſtræ tuæque Familiæ comitiis quibus præeſſe, pro ſuprema Patris Protectoriſque auctoritate tibi competit. Agitur tandem de illuſtrioribus Societatis noſtræ hominibus ex quibus Ordinis quem tuo impensè foves patrocinio, ſpecimen aliquod capere liceat, tuámque in nos propenſionem, non dicam, amplificare, ſed maximam quantam habes conſervare atque ſuſtinere. En paratiſſimam, ſi neceſſaria ſit, hujus meæ confidentiæ excuſationem. Quid ergo rationes alias perſequar? quid implorabo ſummam humani-

manitatem illam, morumque ſuavitatem qua in ſplendidiſſima dignitate conſtitutus, omnium corda tibi facilè devincis? Quid loquar omnibus notiſſima quibus præfulges virtutum ornamenta? Quid tandem celebrare neceſſum eſt ab antiquo deductam gentis tuæ nobilitatem, cui decus immortale, & Sacra Majeſtate & virtutum omnium gloria addidit CLEMENS XIII. quem diù ſoſpitem Deus atque incolumem ſervet. Verùm quamvis hoc meum opuſculum, quod aliquo modo tuum quoque dici poteſt, cum ad res noſtras pertineat, vix ullam protectionem a te poſtulare videatur, ego tamen deprecandæ veniæ neceſſitatem vehementèr ſentio qui argumentum, neque pro tua neque pro rei ipſius dignitate, tractaverim. Cæterum hanc oblatam optatiſſimamque occaſionem amplexus ſum atque arripui libentiſſimè ſignificandi venerationem maximam qua ſacram deoſculatus Purpuram me tibi E. P., devotiſſimum atque obſequentiſſimum profiteor.

ADPROBATIONES

JUssu Reverendissimi P. Thomæ Augustini Ricchinii S. Palatii Apost. Magistri legi Clarissimi viri R. P. Francisci Jacquier in Romanæ Sapientiæ Archigymnasio Philosophiæ Matheseosque Professoris; quin & celebriorum Europæ Academiarum Socii, librum cui titulus: *In laudes Ordinis Minimorum Oratio adnotationibus illustrata*; atque in eo libro eruditissimus Vir præstantissimas sodalium suorum virtutes, suique Ordinis egregia in Christianam Rempublicam ac litteratos homines merita ità exponit & demonstrat, ut cum ad fidei morumque normam, tum verò ad sanioris critices regulas, atque ad Auctoris celebritatem, omnibus modis respondeat. Quamobrem typis edendum censeo. Dabam Romæ VI. Non. Martii 1764.

F. Gabriel Fabricius
S. Theol. Lector, Ord. Præd.

IMPRIMATVR,
Si videbitur Rmo P. Mag. Sac. Pal. Apost.
D. Archiep. Nicomed. Vicesg.


IMPRIMATVR,
F.Th. Augustinus Ricchinius Ord. Præd. S.P.A. Magister.

LECTORI

I Notis atque Commentariis illustrare liceat Orationis genus aliquod, illud sanè est, laudativum nempè, quod mihi tractandum contigit. Neque laudare mihi propositum est unum duntaxat illustrem virum, cujus quidèm laudatio breviori sermone concludi posset, sed Religiosæ familiæ gloriam a trecentis circiter annis longiùs repetere & per temporum seriem persequi aggredior. Quæ cum ita sint, nemo non intelligit tantam hominum, virtutum, Regionum temporumque diversitatem, intrà uniùs Orationis limites contineri minimè potuisse. Itaque cum Orationem hanc in lucem prodire exoptaverit summus Ordinis nostri Moderator cujus voluntas mihi pro imperio est, solemni comitiorum nostrorum celebritati opusculum hoc exhibere atque offerre nolui necessariis destitutum adnotationibus quæ & laudes vix delibatas amplificarent, & cœtum nostrum in splendidiori lumine collocarent,

At eos qui hunc meum qualemcumque libellum suâ attentione non omninò indignum judicabunt, monitos volo, servatam non fuisse, in recensendis hominibus nostris accuratam temporum rationem; talis siquidem Annalium Ordo ipsam virtutum meritorumque seriem, ipsum quoque Orationis Ordinem perturbasset omninò. Eandem ob causam, Provinciarum varietatem, Clarorum Virorum patriam haud studiosè conquisivi atque notavi; cum enim Institutum nostrum in universum commendare illiùsque laudes celebrare mihi proposuerim, nihili aut parvi interesse exi-

existimavi, si Provincias Urbesque distinguerem: *Omnes fratres sumus*: communi matre, scilicet Religione geniti. Tandem quod attinet Virorum illustrium mortem, tempus quo ipsa contigerit aliquando prætermisi; ubi id nullius utilitatis mihi visum est; satis enim mihi erat haud interruptum familiæ nostræ splendorem indicare atque demonstrare; neque rem accuratiori Chronologiâ Annalium more consectari hujus libelli scopo conveniens fuit. Nihil jam reliqui est quod moneam nisi me haud magnâ diligentiâ vocabulorum mutationi studuisse, ubi de iisdem virtutum meritis frequens recurrebat sermo. Si enim id facere voluissem, quod quidèm haud difficili præstitissem negotio, affectato facilè peccatum esset scribendi genere, atque etiam fortasse obscuro. Cæterùm id exopto vehementèr ut quod levitèr tantùm extremisque, ut dicunt, digitis attigi, aliquis majori studiò amplectatur, universamque Ordinis nostri historiam datâ operâ, meliorique labore perficiat.





ORATIO

SI quis unquam inexpectatus, magisque expetendus honos contigisse mihi potuerit, ille profectò est, ornatissimi atque religiosissimi PP., quo me hodiernâ die, exornatum atque amplissimè cumulatum intelligo. Ecquid enim præter omnem spem atque expectationem accidere potuit mihi nullius umquam inter nos dignitatis? quam quod in hâc tantâ gravissimorum Patrum frequentiâ & celebritate, in loco auctoritatis pleno solemnem sermonem habere concessum fuerit. Ecquid magis exoptandum quam lectissimam hanc insignium virorum coronam intueri, præclarissimam Ordinis nostri imaginem propiùs contemplari atque admirari? Quid tandem mihi in votis atque deliciis magis esse potuit? quam protrahere, quantùm in me est, fortunatissimum illud tempus quo suavissimâ optimi atque amantissimi moderatoris nostri, mei, ferè dicam, patris præsentiâ me recreatum atque beatum sentio. Sed heu! pro variâ rerum humanarum conditione, prosperis adversa, tristia lætis intercurrunt. O diem non satis deplorandam quâ dulcissimum hoc vitæ

meæ solatium, rerum mearum consilium atque præsidium mihi jamjam eripiendum esse vix cogitare possum. Illius erga me singulari benevolentiæ, sine ullo quidem meo merito, id omninò debeo, ut alia omittam beneficia sanè multa, quod in conspectu vestro. C. PP. dicere atque inter vos assidere licuerit.

Neque aliquem vestrûm esse arbitror in me ità injuriosum ut malè suspicari possit, me tanti beneficii magnitudinem, vestram omnium, quotquot hìc adestis, sapientiam, meam verò tenuitatem atque infantiam ita oblitum esse, ut vos prudentes viros, dignitate ornatos quâ vos estis, de officio admonere atque præceptis instruere audeam; quorum alterum dementiæ esset, arrogantiæ alterum intolerandæ. Quæ cum ità sint, cogitanti mihi quid vobis gratius, quid huic loco opportunius, quid comitiorum universitati convenientius dici posset, id in mentem venit illustriores familiæ nostræ homines breviori sermone recensere, ordinisque nostri laudes non verbis amplificare, sed, prò orationis modo, strictè attingere. Neque enim existimetis hoc mihi esse propositum, per universos annales nostros, per singula virorum illustrium nomina, per omnia virtutum officiorumque genera pervagari. Nam præterquam quod tantam rerum copiam & varietatem complecti non posset oratio; si tot homines virtutesque appellare vellem ac distinguere, historicum agerem, non oratorem. Jam verò attentionem vestramque in me propensionem postulare supervacaneum judico, quum quod nemo non sit in hoc præclarissimo cœtu, ut valdè confido, mihi benevolus, tum quod comparatos ad audiendum animos sibi faciat nobis omnibus communis argumenti utilitas, atque dignitas.

Ea est Religiosæ præsertim Societatis constitutio atque perfectio, ut magna quantumvis hominum multitudo, ex tam diversis tamque discrepantibus provinciis ac nationibus conflata, in unam veluti familiam atque domum summâ animorum consensione coalescere debeat; quod quidem fraternæ caritatis & con-

concordiæ vinculum cum firmissimum inter nos omnino vigeat nunquam abrumpendum, illudque sit Ordinis nostri stemma Gentilitium (1), nobilissimum sanè & divinum, unam omnium gloriam esse, immò & nos singulos in solo Deo gloriari *facilè mihi persuadeo. Verùm si, prout est maligna ingenii humani natura, religiosis etiam animis adhærescere possit subtilissimus invidiæ pulvisculus, hæc sanè labes nobis minimè metuenda; cum magnos viros ità prædicare possit Natio quælibet ut altera alteri non invideat, atque nulla sit Provincia quæ, comparatis libratisque virtutum meritis, primo secundove aut alio quolibet loco numerari debeat.*

Trecenti jam ferè anni fluxerunt, cum SS. Parens nascentis Familiæ fixit incunabula Paulæ in Calabriâ immortali sanè nomine celebrandâ, quod Patri & filiis communem ortum dederit (2). Prima quidem Ordinis nostri initia non virtutum rudimenta, sed exempla atque documenta extiterunt; austerum vitæ genus humanis viribus vix ferendum, Dies rerum divinarum contemplationi religiosisque exercitiis consecratæ, angusta domus, suppellex misera; hæc fuere primæva ornamenta, hæc fuit pristina gloria; sibimetipsis velut emortui Deo soli vivebant Societatis nostræ viri. A Deo quidem & ab jove, *ut vulgò dicitur,* principium; *verum ea est ardentioris caritatis amplissima vis, ut non nosmetipsos duntaxat sed alios quoque & commune bonum latissimè contineat atque complectatur. Quanquam verò illud sit Christi Domini præceptum, id tamen expressâ lege repetere nobisque inculcare voluit Franciscus divinæ caritatis igne totus inflammatus, ut minimè neglectis litterarum studiis, non morum innocentiâ duntaxat & vitæ exemplo, sed verbis quoque ac documentis, sine ullâ tamen ingenii & doctrinæ ostentatione, aliis prælucere, pro viribus nostris (3) satagamus. Et requidem ipsâ, in viro religioso pietatem tolle, facis prophanum hominem; tolle doctrinam, ejus pietas ut plu-*

rimum superstitiosa est atque perniciosa; tolle tandem operæ aliis navandæ voluntatem, segnem illum facis atque otiosum. His tribus dotibus floruisse familiam nostram, eamque viris pietate primùm quod caput est, dein doctrinâ, tandemque navatâ Ecclesiæ & litterariæ Reipublicæ operâ celeberrimis abundasse ex ordine demonstrabo.

Si annalium nostrorum monumenta evolvamus, ab ipsis quoque antiquis temporibus primisque fere natalibus, reperire est non solùm sanctissimos, sed doctissimos etiam viros, fidei religionisque præcones eximios, strenuos propugnatores quorum alii laboribus Evangelicis defatigati lentiùs obierunt, alii autem a Religionis hostibus vexati & sævissimè trucidati, celeriùs ad vitam æternam immortalemque gloriam evolarunt (4). Angustioribus Calabriæ finibus circumscripta diù non fuit religiosissimi Instituti ntilitas. Perlata per omnes longè lateque regiones B. Fundatoris fama brevi effecit ut Provinciæ, Regna, Regesque ipsi, Franciscum ejusque socios certatim habere voluerint iteratisque precibus tandem impetraverint (5). Effingamus nobis animo atque contemplemur, si fieri possit, Franciscum qui moribus, veste, totoque mentis & corporis habitu simplicitatem candoremque spirabat, in splendido aularum tumultu tranquillum, religiosum, purioris cultûs restitutorem, ab ipsis Principibus ac Regibus Majestatis suæ ferè oblitis singulari veneratione exceptum; eum tandem intueamur a Summis Pontificibus benignè atque honorificè admissum (6); nullus profectò Religiosus Ordo illustiora ostentare poterit initia; atque eo quidem splendidiora quo sibi ipsi obscurior fuit vir Sanctus qui sibi soli nullus, nihil prætermittebat ut ab aliis quoque nullus haberetur. O gloriosissimum sanè Ordinem nostrum Paternæ hujus virtutis hæredem! Et requidem ipsâ, si illustrium virorum, qui certè inter nos fuere multi, religiosè gesta nostris monumentis consignata repetamus, aliquos inveni-

re

re est Principum gratiâ & beneficiis invitatos qui religiosos obscurosque angustioris domicilii parietes, ædium dignitatumque splendori anteponere non dubitarunt. Nullum certè inter nos reperire est magni nominis virum qui tractandis prophanis civilibusque negotiis sese ultrò obtrudere paratus fuerit, qui ad sacras dignitates ambitiosè malisve artibus obrepserit, qui veram sinceramque ex demissâ sui ipsius opinione conceptam modestiam intimo animo non servaverit (7). Neque enim præclaro modestiæ nomine digni sunt, sed contrà subtilioris atque exquisitioris superbiæ rei qui fastum calcant, sed alio fastu. Hæc rarior morum ingenuitas nec satis laudanda majorum nostrorum simplicitas in caussâ fuit, cur nobis in Galliâ hæserit honorificentissimum quidèm virorum bonorum cognomen, quo nullum apud iniquos virtutis honestatisque æstimatores vilius habetur atque ignobilius, quo nullum re ipsâ est nobilius atque præstantius (8).

His incrementis in Italiâ atque in Galliâ augebatur religiosus ordo, cum Hispaniarum Rex Ferdinandus V., tam Sancto instituto carere noluit, atque etiam Maximilianus I. Imperator nos in Germaniam advocare sollicitus fuit (9). Ecquis non mirabitur celerrimum hunc Ordinis nostri progressum, non quidem amplificandæ Familiæ nostræ desiderio importunisque sollicitationibus, sed propensissimæ in nos Regum civiumque voluntati, omninò tribuendum. Neque præ conceptam opinionem defraudarunt recentiùs constitutæ apud Hispanos & Germanos Religiosæ Coloniæ, ab antiquiori Italorum Gallorumque gloriâ minime degeneres. Et requidem ipsâ, si Ecclesiasticos Hispaniarum fastos consulamus, tanto Sacrorum Antistitum numero nullibi commendatur Ordo noster, neque plures sanctitate spectabiles & doctrinæ famâ celebres viros ullibi numerare & prædicare potest. In ipso Societatis nostræ apud Hispanos exordio unum mirari satis erit Illustrissimum Patrem Bernardum Builium *Ferdinando Regi Catholico apprimè carum, magnæ auctoritatis*

ritatis

ritatis parisque doctrinæ atque excellentioris Sanctitatis virum, qui Gerundensis Episcopus creatus, Ecclesiasticis rebus Sanctè & præclarè gestis Clarus fuit (10). Verùm multos inter qui Ordinem nostrum illustrarunt Sacros præsules, si parem, nullum certè Superiorem invenire est Gasparo de Fosso *Rhegiensi in Italiâ Episcopo, qui in Concilio Tridentino Orationem habuit, Patrumque omnium atque Summorum Pontificum existimationem in se ità concitavit ut propositas sublimiores Ecclesiæ dignitates magno religiosoque animo recusaverit (11). Hæc quidem per magna sunt, sed eo maximè nomine laudari debet Clarissimum illud Ordinis nostri lumen Rhegiensis Antistes, quod familiaritate epistolicoque commercio cum S. Carolo conjunctus fuerit.*

Neque minùs illustri laude, quæ cum Galliâ atque Hispaniâ communis est, decorata fuere apud Germanos nostri Instituti primordia. Revocemus in memoriam tristissima illa neque satis omnium lacrymis deploranda grassantis per Galliam, atque Germaniam sævissimæ hæreseos tempora. Meminisse horret animus violatam templorum Sanctitatem, nefariè proculcatas flammisque dispersas Sanctorum nostrique B. Parentis reliquias; tandem subversis funditus domiciliis ferè in cunis extinctam nascentem nostram Societatem (12). At in tantâ rerum nostrarum strage ac perturbatione, id nobis solatio sit strenuos habuisse Religionis Athletas quorum sudoribus & sanguine irrigata nostræ Societatis incunabula, hoc veluti semine aucta lætiùs exultarunt latiusque fuerunt amplificata (13). Iisdem temporibus per Hispanias longè latèque serpebat Maurorum Colluvies, non solùm diruta religiosa hospitia, & pro Fidei defensione tormenta mortemque ipsam passi sunt religiosissimi hospites, sed etiam teterrimum exarserat bellum ità ut inclinare viderentur Christianorum res, Sacraque omnia ferro metere paratus esset ferocissimus hostis. At victoriam Ferdinando Regi pollicentur spondentque Sodoles nostri: en subito mutata rerum facies, Mauri

anteà

anteà victores fugantur, ad internecionem caduntur totoque Regno pelluntur; atque hac est gloriosissima sanè origo praclari nominis de Victoriâ, *quo apud Hispanos exornatus fuit Ordo noster ad perpetuam vaticinii memoriam. O adoranda Divina & beneficentissima providentia consilia! eâ ipsâ tempestate quâ doctrina morumque Sanctitati acerrimum bellum indixère Ecclesia hostes, suscitavit D. O. M. religiosas Familias qua laxiori disciplina austerum vita Institutum, omni flagitiorum generi virtutum omnium exempla opponerent, qua tandem laboribus, periculis, morteque ipsâ fidei integritatem atque castitatem, defenderent (14).*

Ea est infausta ingenii humani & natura propensio, ut sapè numero Societates religiosa, qua praclarissimis aliquando inclaruerunt initiis a pristino posteà splendore degeneres paulatim collapsa, vergant in deterius. At longa dies inimica rebus etiam optimè constitutis, benè juvantibus superis, quantum ferre potest humana imbecillitas in longâ Ordinis nostri senectute, religiosa disciplina severitatem, bonam morum simplicitatem, virtutis doctrinaque studium non labefactavit aut imminuit; eâdem religionis integritate, eâdem doctrinarum laude, iisdem vita rationibus & Institutis ubique gentium floret Ordo noster. Ac primo quidem quod pietatem spectat, non sine magnâ veneratione in ipsis Instituti nostri primordiis appellari debent Paulus a Paterno, Mathæus Michael, Franciscus Binetus, Germanus Lionetus, Dionysius Barbierius, Jacobus Lespervierius, Ambrosius a Jesu, *aliique sexcenti quorum nomina breviori hâc oratione contineri vix possent (15). Neque defuerunt sequentibus deindè temporibus illustres Sanctitate viri,* (16) Gaspar Bonus, Franciscus a Longobardis, Duanius, Moreavius, Hieronymus Detienneus, Paulus Trouchetus *aliique plurimi eâdem virtutis laude commendandi (17). Quod dignitatum scientiarumque famam attinet; quamvis inter nos semper*

ſemper viguerit religioſiſsimus privatæ Solitariæque vitæ amor, intra parietes tamen deliteſcere non potuit ſplendidior multorum ex noſtris gloria. Ex eo fuere numero viri Clariſsimi atque Illuſtriſsimi Præſules Didacus de Sylva, Clericus de la Fare, Dattichius, Dinetus, Antonius De Boulogne, Palanchus, Gaſchius; *ut ſilentio prætercam laudatos jam, neque ſatis laudandos* Builium, *&* Gaſparum de Foſſo, *alioſque Antiſtites benè multos qui ex Religioſi Clauſtri anguſtiis ad dignitatum faſtigia evecti prodierunt, Ordinemque noſtrum atque Eccleſiam rebus præclarè geſtis exornarunt (18). Juſtæ Orationis limites longè excederem, ſi vel nominare vellem percelebres Scriptores qui non noſmetipſos duntaxat, ſed Chriſtianum Litterariumque orbem doctrinæ eruditioniſque lumine illuſtrarunt. Scrutemur Annales noſtros, celebratiſsimos inveniemus Theologos ſacroſque Oratores qui priorem quoque Ordinis noſtri ætatem commendant; recenſere ſatis erit* Simonem *&* Rolandum Guichardum, Joannem Thierry, Joannem Brunonem Scotum, Bonaventuram Hepburnum, Franciſcum Lanovium, Rangolium. *Longius eſſet appellare innumerabiles ferè recentiori ætate celeberrimos viros, qui Sacris concionibus Theologiciſque operibus ſibi nobiſque gloriam conciliarunt immortalem (19). Neque ſatis æquum ſeſe præberet hominum æſtimatorem qui ex præſenti ſacræ eloquentiæ ſtatu de antiquioribus, quorum celebritas maxima fuit, Sacris Oratoribus judicium facere, atque audacius pronuntiare non dubitaret. Inconcuſſæ quidèm veritatis eſt doctrina Evangelica, verbum Divinum nullis præſcribitur temporibus; verùm ætate præteritâ, in noſtrâ præſertim Galliâ, orationes Sacræ eo qui nunc invaluit politiori Sermonis cultu non veſtiebantur; alia in uſu erant vocabula quæ nunc cecidère, alia erat dictionis forma. Quæ cum ita ſint, ad juſtam veterum Scriptorum æſtimationem, prætermitti ſanè non debet temporis ratio & uſus penes quem loquendi*

quendi jus est & norma. Quantum ergò debet esse nostrum gaudium in tanto rerum nostrarum spectaculo! Quanta debet esse Ordinis nostri gloria ad Deum tamen tota referenda! dum inter nos intuemur ad hæc usque tempora satis multos doctrinâ & virtute insignes viros, apostolicis ministeriis & præclaris vitæ exemplis summoperè commudabiles; Theologicâ doctrinâ, linguarum peritiâ apprimè claros; frequentissimos atque præstantissimos in variis facultatibus Scriptores, eximios quoque complures Pontificii ac Cæsarei juris consultos, quorum omnium nomen litterariam rempublicam adornat (20). Verùm quamvis in hoc multiplici doctrinæ genere satis sese commendet Ordo noster, silentio tamen minimè præterire licet haud mediocrem sanè splendorem qui ex philosophicis mathematicisque disciplinis in nostram Societatem derivavit. Antiquiores quidèm Annalium nostrorum tabulæ eximios in rebus Mathematicis & Philosophicis viros referunt; at quis in historiâ litterariâ vel tantispèr versatus ignorat magna sanè nomina. Mersenni, Maignani, Niceronii, Plumierii, Fevillei *(21)! qui non solum egregiis operibus æternam famam sibi compararunt, sed etiam discipulos, si non æqualis, non mediocris (22) certè doctrinæ hæredes reliquerunt. Neque præclarissimo huic studiorum generi aliquid laudis decerpere poterunt censores, si qui sint, plus æquo religiosi qui philosophicas, mathematicas aliasque id genus disciplinas velut ab instituto religioso alienas fastidiosè traducunt, easque tanquam prophanas aspernari non dubitant. Imperitos illos doctrinæ judices pluribus verbis refellere superfluum omnino est. Ecquis enim nescit eam esse harum scientiarum efficaciam ut intelligendi vim, maximè augere valeant & alterius cujuslibet tractandæ disciplinæ methodum & facilitatem conciliare. Id exemplo suo demonstrant* Mersennus & Maignanus *ex quorum operibus sanè egregiis judicare difficile est an excellentiores fuerint Mathematici & Philosophi, an præstantiores Theologi (23). Ecquis non verebitur tantorum hominum*


num laudes imminuere? Cum apud litteratos homines non ſolum nominis celebritate, ſed etiam apud principes viros Regeſque noſtros exiſtimatione & gratiâ plurimùm valuerint (24).

Utinam ſatis mihi eſſet vel facultatis ad dicendum vel temporis, ad celebrandam, pro dignitate, Ordinis noſtri gloriam. Ego vero ex iis quæ hactenùs dixi ſatis videor oſtendiſſe priſtinum & longâ annorum ſerie confirmatum Societatis noſtræ ſplendorem. Sed quid longinqua conſectamur? Cum propiora præ oculis habeamus. Intueor in vobis, religioſiſſimi atque ornatiſſimi PP., velut ſuperſtites ac redivivos percelebres illos familiæ noſtræ viros qui hanc pietate & doctrinâ ætate quâlibet decorarunt. Jucundiſſimum ſanè mihi eſt neminem videre inter vos, qui ad ſupremam Ordinis noſtri dignitatem evectus, exemplo, conſilio, auctoritate noſtram hanc gloriam tueri, ſuſtinere atque promovere non poſsit. Ordinis noſtri ſumma certè laus eſt, quod magnorum virorum copia minimè deſideretur, quod benè multi ſint in hoc præclariſsimo conſeſſu, quorum amori, integritati, prudentiæ, fidei, familiæ noſtræ adminiſtratio & gloria deferatur atque committatur, ita ut ferè dubitari videatur quis potiſsimum nobis omnibus opportunior futurus ſit, quis glorioſior. Verùm ut hæc dubitatio veſtra omniſque animi ſuſpenſio, ſi quæ ſit, in re graviſsimi momenti depellatur atque omninò evaneſcat, circumſpicite præſentem Ordinis noſtri moderatorem ſapientiſsimum qui nos paterno amore, ſuaviſsimâ lenitate & affabilitate, magis quam imperio & auctoritate gubernavit, qui religioſæ diſciplinæ vigilantiſsimum obſervatorem prudentiſsimumque defenſorem ſeſe prebuit, qui exiſtimationem apud optimates & principes, religionis exemplo, ingenii vi, cultiorique doctrina ſibi comparavit. Loquatur noſtra Campaniæ provincia quæ quidquid boni habet ſuo amantiſsimo parenti id totum fatetur refertque acceptum. Loquatur unâ voce totus Ordo quem terrâ marique, non ſine ſalutis diſcrimine, indefeſſo labore & inauditâ propemodum

dum

dum sollicitudine perlustravit. Loquatur & tandem Roma ipsa ubi amplissima instituti nostri munia sic gessit, ut non solum dilectissimi Patris loco a nostris haberetur, sed etiam Principibus, viris summisque Pontificibus apprimè carus fuerit. Testis est Roma quanto omnium Ordinum applausu, dum Ordinis nostri negotia procurabat, auditæ atque exceptæ fuerint Orationes sacræ quas coram Summo Pontifice amplissimoque Cardinalium Senatu habuit, quarum etiam nunc extat honorificentissima memoria, frequensque mentio. Testis tandem est Roma quanta sapientiæ laude, dum res nostras supremâ auctoritate administrabat, apud omnes floruerit, ita ut difficiliora quæque negotia felici exitu miraque facilitate contigerint. Vobis autem. C. PP. nobisque summopere gratulor quod in Successore deligendo, tale exemplar vobis proponere nobisque restituere possitis, itâ ut parens optimus non ereptus sed redditus videatur. Quæ cum itâ sint, nihil jam reliqui est nisi ut D. O. M. pro tantâ Ordinis nostri felicitate & gloriâ agamus gratias, divinamque imploremus clementiam ut nostram familiam foveat, in pristino hodiernoque splendore conservet, omnem disciplinæ laxitatem omnisque corruptelæ fomitem desidiam longiùs avertat; ac tandem gratiæ suæ auxilio non fugitivam duntaxat brevioremque, sed immortalem nobis præparet decernatque gloriam.





ADNOTATIONES

ORDINIS NOSTRI, VIRORUMQUE ILLUSTRIUM HISTORIÆ INSERVIENTES

(1) HÆC familiæ nostræ insignia esse voluit B. Parens; nempe *Caritatis nomen aureis litteris in areâ cæruleâ insculptum*. Divinum quidem est caritatis præceptum; sed nobilissimum illud religiosæ gentis nostræ stemma, Sancto Fundatori ad cælestium rerum contemplationem evecto, ab angelo demonstratum fuisse & è cælo veluti delapsum referunt antiquissimi historiæ nostræ Scriptores. Quare duplici nomine, divina appellari possunt præclarissima hæc nostræ Societatis insignia.

(2) Ad tollendam de Ordinis nostri ætate ambiguitatem omnem, varia distingui debent nostri Instituti initia. Primum initium repeti potest ab eo tempore quò S. Franciscus de Paulâ fratres cæpit congregare & cœnobium ædificare; quod quidem anno 1435 contigisse certum est. Etenim S. Franciscus cum vix decimum quartum annum attigerat, in

in solitudinem secessit; post quatuor aut quinque annos fratres in Societatem admisit, eos simili quam gerebat veste induit, docens Sanctè vivere & vitam *quadragesimalem* observare. Quarè cum S. Franciscus natus sit anno æræ Christianæ 1416, in solitudinem se contulit anno 1430, fratresque anno ætatis suæ 19. in cœtum recepit, ac proinde anno 1435. En provectiorem Ordinis nostri senectutem.

His quidem exiguis initiis crevit familia nostra ad annum usque 1471, quo *Pyrrus* Episcopus *consentinus* litteris datis die ultimâ Novembris Ordinem nostrum in suâ *Diœcesi* confitmavit. Sed anno 1473 atque iterum 1474 in universa Ecclesia familiam nostram suprema auctoritate approbavit Summus Pontifex Sixtus IV. Tandem regulas a S. Patre constitutas & nonnihil mutatas confirmarunt posteriores Romani Pontifices *Alexander VI.* & *Julius II.* ann. 1493. 1505. Quæ cum ita sint, facili negotio componi poterunt quæ a nonnullis rerum nostrarum Scriptoribus diversissimè tradita sunt de Ordinis nostri antiquitate, pro varia scilicet religiosæ Institutionis acceptione. Et quidem, si Institutionis nomine intelligamus primum illud initium quo S. Pater domum ædificare fratresque congregare cæpit, demonstratum omninò est Ordinis nostri initium ab anno 1435. sumendum esse. Neque obstat quod nulla hoc anno facta legatur Ordinis nostri approbatio; argumentis enim *negativis* longè anteponenda esse *positiva* testimonia præscribit accuratioris criticæ & conscribendæ historiæ ratio. Præterea testatur *Ughellus* in Italia Sacra duos extitisse S. Francisci temporibus Consentinos Episcopos ex nobili *Caracciolorum* gente progenitos, quorum primus fuit *Berardus*, vel ut alii malunt, *Berardinus*, alter autem *Pyrrus*. Porrò fidem faciunt antiquiora Ordinis nostri monumenta utrumque in res nostras fuisse propensissimum. Quarè fieri potuit ut *Berardus*, qui suo patrocinio

na-

nascentem Societatem fovebat, primum Ordinis nostri domicilium, verbo atque ore tenus approbaverit.

(3) Litterarum studia præscribit S. Pater *Reg. cap.* 9. itemque *Correct. cap.* 9. illudque maximè commendat doctrinæ genus quod *ad prædicandum & confessiones audiendas est idoneum*, ità ut violatæ regulæ omninò rei sint, qui pro viribus præceptum illud implere negligunt; etiamsi religiosis vacent exercitiis; multò minùs autem excusandi si otiosam agant vitam. Hìc autem, datâ occasione, perstringendus est *Bailletus* qui in vitâ S. Francisci de Paulâ falsò dictitavit, contemplationis otium duntaxat a Sancto Fundatore nobis fuisse demandatum, primosque instituti nostri viros obscurè atque illiteratos vixisse. A nostri instituti legibus longè alienum fuisse *Bailletum* non solùm ex regulæ nostræ statutis manifestum est, sed etiam ex propensissimâ voluntate qua litteratos viros excepit S. Parens & in suum Ordinem cooptavit; duos appellare satis erit quorum primus est Pater *Laurentius Clavensis* quem S. Franciscus laudat tanquam virum doctum *a quo omnis hauriri possit consolatio tam spiritualis quam temporalis*: ut legitur epist. 83. in litterarum *centuriâ* quam collegit *P. a Longobardis*.

Alterum nascentis nostræ Societatis litteratum hominem maximè venerabatur S. Institutor, nempè Patrem *Balthazarum de Spino* qui fuit primus Ordinis nostri Sacerdos & veluti alter parens, ut ait *Lanovius*. Hunc fuisse utriusque juris Doctorem & *Innocentii VIII.* Summi Pontificis *a confessionibus* fatetur ipsemet Bailletus; atque idem Summus Pontifex in *Bullâ* qua ann. 1488. Ordinem nostrum exornavit, Balthazarum de Spino vocat *familiarem & amicum nostrum*. Hæc Bulla in Ordinis *Bullario* prætermissa, in conventus Paulani tabulariis religiosè asservatur. Romam a S. Patre missum fuisse Patrem Balthazarum ad gerenda Ordinis

dinis negotia, primumque Procuratorem generalem extitisse testantur antiquiora & indubitata annalium nostrorum documenta. Hanc adnotationem nullo possumus honorificentiori concludere testimonio quam verbis Summi Pontificis Clem. VIII. *Const.* quæ incipit *Injuncti nobis*. Dat. 15. Jun. an. 1603. *volentes igitur universum Ordinem Fratrum Minimorum S. Francisci de Paulâ, ex quo uberrimi in eâdem Dei Ecclesiâ fructus, ad ipsius omnipotentis Dei laudem & Christianæ Reipublicæ spirituale commodum & utilitatem, ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & in dies prodeunt &c.* Iisdem omninò elogiis Ordinem nostrum commendavit Urban. VIII. in *const.* dat. an. 1624. die 28. Jun.

(4) Hic in universum duntaxat laudantur strenui familiæ nostræ heroes qui laboribus evangelicis ipsoque Sanguine Sanctam Religionem propugnarunt; horum autem nomina suis locis deindè appellabimus.

(5) *Ludovicus XI.* Galliarum Rex *Ferdinandum* Neapolis Regem non solùm litteris sollicitavit ut Franciscus in Gallias mitteretur, sed etiam Summi Pontificis *Sixti IV.* auctoritate interposita. Extant Sixti IV. litteræ ad Ludov. XI. & ad S. Franciscum datæ apud *Odoricum Raynaldum* qui eas ex libro *Brevium* descripsit. Has autem legere jucundissimum erit iis quibus res nostræ cordi sunt, ut esse debent.

(6) Honores S. Viro, ubi Neapolim accessit a Rege ipso omniumque Ordinum civibus delatos describit *Cominæus*. Tantam fuisse civium turmatim confluentium multitudinem, referunt testes *processus Calabrici*, ut turbæ impetum accita militum manu, reprimere necessum fuerit. Quanto autem omnium applausu Romæ exceptus fuerit Franciscus testatur idem *Cominæus*, eum invisere non dedignati sunt quotquot in Urbe extiterunt *Cardinales*; Summus Pontifex eum ad familiare colloquium ter admisit. *Cominæus* refert

fert S. Virum ubi ad Regem venit, tantâ veneratione acceptum fuisse ut Rex ipse majestatis oblitus ad genua se prosternere non dubitaverit, B. Patris precibus sese commendans diuturnioremque postulans & sperans vitam. At non vitam longiorem, sed meliorem expectandam Regi significavit Franciscus, ipsumque mortis diem indixit. Hinc factum est ut Ludovicus abjectiorem nec satis religiosum mortis metum, in Christianam spem magnamque animi constantiam commutaverit, & sibi atque regno sapientissimè providerit; ita ut in universâ Regis aulâ sanctiorem religionis cultum a S. Francisco restitutum fuisse scripserit *D. Duclos* in historia Ludovici XI.

(7) Recensebimus atque laudabimus suo loco benè multos familiæ nostræ illustres viros, qui dignitates ultrò oblatas propositaque vitæ commoda recusarunt, qui inviti atque repugnantes amplissimis honoribus sese subjecerunt. De nostris hominibus hæc scripsit Bailletus: *Jamais on ne les a surpris dans les intrigues des affaires du dehors; jamais on ne s'est apperçû qu'ils aient aspirè aux dignitès, ou aux emplois ecclesiastiques*: quo quidem animo hæc dixerit Bailletus qui de Ordine nostro demissiùs sentiebat, an seriò an jocose, ex ejus verbis conjicere vix possumus. Sed quidquid sit, nos laudis maximæ loco habemus Christianam fundatoris nostri humilitatem imitari, eamque libenter profitemur sapientiam quæ superbis fastuosisque hominibus videtur insipientia.

(8) *Boni hominis* nomen apud omnes bonos honestosque homines venerandum Francisco tribuit Auctor anonymus vitæ ejusdem Francisci, sanctique Fundatoris socius: *Et primo recitabimus de bonâ vitâ boni hominis:* Quæ verba sic gallicè reddit interpres ejusdem ferè ætatis: *Et premierement, reciterons de la bonne vie du bon homme Francois de*

 Paule.

Paule. Hoc nomen ob vitæ ſanctitatem morumque ſimplicitatem a Ludovico Rege aulicisque omnibus S. Viro attributum fuiſſe refert *Cominæus*; atque eandem præſertim ob cauſam in Ordinem noſtrum apud Gallos eadem appellatio derivavit.

(9) Ad Carolum VIII. Ludovici XI. filium Regnique hæredem tranſmiſſa eſt ſumma ergà S. Patrem veneratio, & eadem quoque in noſtram familiam propenſio. Iiſdem temporibus apud Galliæ Regem orator a *Ferdinando* hujus nominis V. miſſus fuit *Petrus de Lucentia Olbia*, cui comes adjunctus fuerat *Ferdinandus Pandurus* nobilis Hiſpanus, prædictoque Oratori genere proximus. Ambo S. Fundatoris familiaritatem pari deſiderio expetebant; Sed *Ferdinandus Pandurus* Inſtitutum noſtrum amplexus eſt; & *Petrus de Lucentiâ* quotidianis Franciſci miraculis vitæque ſanctimonia magis ac magis excitatus, traducendis in Hiſpaniam S. Viri diſcipulis atque conſtituendis omnem ſuam operam & liberalitatem pollicitus eſt. Quo anno a B. Fundatore hæc miſſio in Hiſpaniam facta fuerit certò non conſtat; aliqui ad annum 1487., alii verò ad annum 1492. eam referunt. *Lanovius* utramque opinionem hac ratione componit, quod nempè anno 1487. obſeſſa *Malaca*, atque ancipiti Marte concertantibus Chriſtianis & Mauris, a S. Franciſco in Hiſpaniam tranſmiſſi fuerint duo noſtri Ordinis Patres, nempè *Bernardinus a Cropulatu*, & *Damianus Leſpervierius*, qui certum de victoria nuntium Ferdinando Regi ſponderent, pellendoſque tota Hiſpania Mauros prædicerent. Nec verbis defuit eventus, obtentâ feliciter victoriâ & Mauris partim fugâ dilapſis, partim in Ferdinandi Regis manus & fidem ultrò ſe dedentibus. Hæc autem mirabilis bellicarum rerum converſio nomen *a victoriâ* Ordini noſtro reliquit, tantamque gratiam apud Ferdinandum conciliavit ut conſtruen-

ſtruendi apud *Malacam* cænobii fidem dederit; quod quidèm, in tanto rerum tumultu, executioni mandari difficile fuit; donec anno 1492. compoſito bello, receptâ *Granatâ* extinctiſque Mauris, duobus prælaudatis Patribus ſeſe ſocios adjungere potuerint alii plurimi, inter quos extitère magni nominis, majoriſque Sanctitatis viri opportuniùs deinde recenſendi.

Quod ſpectat Ordinis noſtri miſſionem in Germaniam. hanc anno 1497. conſignat *Lanovius*; ipſe tamen fatetur jam antè annum 1490. aliquos ex noſtris in Germaniam tranſiviſſe; idque colligit ex antiquo fundationis Fiſtricenſis inſtrumento in quo hujus cœnobii Patres *Eremitarum* nomen retinent; quod quidem argumento eſt conventum hunc antiquiorem eſſe anno 1490., nempe ante inditum Ordini noſtro ab Alexandro VI. *Minimorum* nomen. Paucos antè annos ad manus meas pervenerunt aliqua de Ordinis noſtri apud Germanos propagatione documenta, quibus teſtatum video antiquiorem eſſe in Germaniâ familiæ noſtræ inſtitutionem. Et quidèm in Wittingavienſi *archivo* extant variæ litteræ in quibus cœnobii *S. Andreæ in Ruckelvveis* fundatio tribuitur nobiliſſimæ *Roſembergiorum* genti, atque inter litteras illas leguntur nonnullæ quibus *Henricus* de *Roſemberg* anno 1474. fidelem quemdam hujus cœnobii villicum conſtituit; quæ quidem litteræ, ſi certæ fidei ſint, evincunt omnino Ordinis noſtri in Germania majorem eſſe quam in Hiſpaniâ antiquitatem. Sed quidquid ſit, certum eſt ab ipſomet S. Fundatore in Germaniam miſſos fuiſſe Religioſiſſimos Patres *Dyoniſium Barbierium* & *Franciſcum Cerdonium*, qui ob eximiam pietatem auguſtiſſimo Imperatori Maximiliano I., plurimiſque proceribus & dynaſtis acceptiſſimi, intra breve tempus tria cœnobia receperunt, eaque optimis di-

disciplinis & religiosis vitæ commodis instruenda esse curarunt.

(10) *Bernardus Buil* Hispanus apud Ludovicum XI. Ferdinandi V. Hispaniarum Regis orator missus est; quo tempore cum S. Virum familiariter tractaverit, ex *Benedictino* Ordine quem professus fuerat ad nostrum transivit. Hinc facili negotio conciliantur quæ de nostro Bernardo variè scripta sunt. *Possevinus in apparatu sacro*, *Bernardum Benedictinum* vocat. *Constantinus abbas Cajetanus* duos *Bernardos Builios* facere non dubitavit; unum Ordini *Benedictino* ascribit, alterum Ordini nostro restituit. Indiarum quæ *Occidentales* dicuntur *Patriarcha* fuit *Bernardus Builius* atque deindè *Gerundensis* Antistes. Indiarum Patriarcham fuisse *Bernardum Benedictinum* asserit laudatus abbas *Cajetanus*, neutrum verò *Gerundensem Episcopum* extitisse affirmat; sed alium *Builium* multò recentiorem nomine *Guillelmum* inducit. Errorem de duplici Bernardo ex temporum confusione ortum, longiùs refellere minimè necessum est. Porro argumentis ex Chronologiâ & accuratiori temporum ratione desumptis ostendit *Morales in Chron. Boeticæ* non alium quam *Bernardum* nostrum, tempore quo *Minimus* non *Benedictinus* erat apud *Occidentales Indias* Patriarcham fuisse. Quod verò idem Bernardus noster *Gerundensis Episcopus* fuerit testatur *Trimarchius*, qui in ipso *Gerundensi* templo propriis oculis usurpavit verba *Bernardi Builii* sepulchro inscripta quibus *Ordinis nostri professor* legitur. *Builium* legati in Galliam nomine ac potestate functum fuisse ut oppigneratos *Russilionis* & *Cerdoniæ* comitatus redimeret, tradunt Hispanorum annales; magnum scilicèt momentum in S. Francisci apud Regem existimatione & fide positum videbatur. Et quidèm eo auctore restitutos fuisse comitatus prædictos Hispani glo-

gloriantur, quaſi ex Sancti Viri auctoritate certius illis jus quæſitum videri poſsit.

(11) *Illuſtriſſimus vir Gaſpar Ricciulus de Foſſo* qui a Franciſco *Bineto* Sancti Patris ſucceſſore ad noſtrum Inſtitutum admiſſus, deindè Ordinis noſtri Moderator Generalis fuit. Ab Ughello in Italiâ ſacrâ vir doctiſsimus appellatur. *Scalenſem* Eccleſiam primùm gubernavit, deinde *Calvenſem*, tandem ad *Rhegienſem Archiepiſcopatum* tranſlatus. Interfuit Concilio Tridentino in quo præclaram de eo conceptam ſpem eximiè ſuſtinuit atque etiam ſuperavit. Illius adventus Legatis Summi Pontificis ità exoptatus expectatuſque fuit, ut eo abſente nihil agi voluerint; ubi autem venit, doctrinæ Theologicæ plenam orationem habuit: *de Auctoritate Eccleſiæ in rebus fidei definiendis*: Hujus Orationis argumentum leviter perſtrinxit Concilii Tridentini pernicioſiſſimus Scriptor *Soavius*; ſed integra Oratio typis mandata eſt. *A Gregorio XIII.* ad Sacram *Purpuram* non obſcurè deſignatus, importunis tandem precibus obtinuit ut ab urbe diſcederet tantumque honorem declinaret, demirantibus omnibus qui Summi Pontificis propenſiſſimam voluntatem & modeſtiſsimi viri repugnantiam probè noverant. Neque hìc præterire licet quod publicam quâ apud omnes Ricciulus noſter florebat venerationem demonſtrare maximè valet. Ab anno 1555. cum poſt mortem *Marcelli II.* paucorum dierum Pontificis pro deligendo ſucceſſore comitia inſtaurata eſſent quibus electus eſt *Joanne Petrus Caraffa* dictus *Paulus IV.* noſter Gaſpar de Foſſo tunc *Calvenſis Epiſcopus* multis *Cardinalium* votis atque ſuffragiis ad ſupremam Eccleſiæ dignitatem poſtulatus eſt & fere evectus. Obiit in ſua *Diæceſi Rhegienſi* omnium deſideriis, pauperumque lacrymis magis quam dignitate ulla exornatus: exequias celebravit funebremque laudationem habuit Rm̃us

D. Joan-

D. Joannes Camarota Episcopus Bobiensis qui in Orationis argumentum hæc Apostoli verba adhibuerat *oportet Episcopum irreprehensibilem esse*, eaque ad Gaspari nostri laudes, pro merito traduxit. Sed aliâ qualibet laude superiores sunt datæ ad Gasparum nostrum S. Caroli litteræ ex quibus liquet quantà existimatione apud *Pium IV.* ejusque Nepotem *S. Carolum* Archiepiscopus Rhegiensis valuerit. Hæ litteræ leguntur in historiâ generali Ordinis Minimorum quam edidit Noster *Donius Dattichius*, inter illustriores familiæ nostræ Viros atque Episcopos deindè recensendus.

(12) Perduellium hæreticorum furore vexatus fuit nascens in Germania Ordo noster. *Fistricensi* cœnobio expulsi Patres quorum multos in pago non procul distante *Münchschlacht* trucidatos fuisse refert rerum nostrarum peritissimus Pater *Aram*, qui pagum hunc nominis sui etymologiam traxisse scribit ab illa nostrorum Heroum cæde. Provinciæ Germaniæ haud mediocre ornamentum adjungit quod testatus est Rm̃us *P. Martialis de Vicinis*; hic anno 1526., ut suo fungeretur Moderatoris generalis officio, ad perlustrandas Ordinis Provincias laboriosum iter aggressus est, difficilique & periculosa peregrinatione Boemiam & Austriam superavit. Extabant in Germaniâ tres tantum conventus, B. Patre adhuc superstite instituti, quos vix ob Lutheranorum factiones, retinere poterant religiosi hospites. Abducti a Lutheranis plerique desiderabantur, reliquos ad animi fortitudinem atque constantiam hortatus est *P. de vicinis.* Sed paulò post immanis in nos factus est hæreticorum impetus; ejusdem Provinciæ rector qui *Neapolim* aufugit nostrisque rem totam exposuit, hanc apud nos traditionem reliquit centum ex nostris religiosissimos Patres, ferro aut alio suppliciorum genere vitam amisisse. Sed quidquid sit de tanta religiosorum Athletatum strage; quot & quanta pro fidei

fidei defensione in Germania exantlaverint nostri homines non solum testatur Illm̃us Episcopus *Averranus* in sua Germania Sacra, sed etiam fidem faciunt diplomata plurima in *Pragensi Archivo* asservata quorum apographa in meis servantur scriniis. Cæterum *P. Martialis de Vicinis* Gallus quidem natione fuit, sed inter Hispanos ab ipsis Missionis nostræ initiis versatus est; referunt enim Annales nostri *Bernardum Builium*, *Ferdinadum Pandurum*, *Germanum Lionetum*, *Joannem Abundantium* percelebres nostræ familiæ viros per Urbem *Toletum* transivisse, ibique in majori templo *Martialem* nostrum coram prædictis PP., universo Clero, & frequentissimo Ordinum omnium consessu, religiosæ militiæ nostræ Sacramentum dixisse.

Neque felicius in Gallia cesserunt res nostræ; pro hæreticorum rabie nullo ferè loco consistere tutò poterant homines nostri. Sepulchrum B. Fundatoris venerandum illud sacrumque pignus, quàm barbarè violaverint hæretici meminisse horret, sanctum corpus effossum & Fune alligatum impiâ manu protrahunt, magna lignorum strue ex votivis tabellis sacrisque ornamentis collectâ, flammis imponunt & in cineres redigunt. Nec minùs inhumanos ergà S. Parentis filios sese præbuerunt sævissimi illi Religionis hostes. P. *Eustachius Aprilis*, qui Provinciam *Turonensem* secundùm rexerat, pro religionis causâ è sublimi scalâ dejectus, capite pedibusque contusus, post paucas horas Deo gratias agens sanctè expiravit. Hujus gloriosæ mortis fidem faciunt provinciæ *Turonensis* documenta. Pro eadem causâ, dirè vexatus est in Aquitaniâ Sclopetorumque ictibus confossus P. *Nicolaus Ficquetus*, provinciæ *Franciæ*, ut vocant alumnus, ad comitia generalia delegatus seu *commissus*. Meminere hujus mortis non solùm *Tristanus*, *Montoya*, sed etiam antiquissimæ in nostris primariis conventibus tabellæ

Nico-

Nicolaum noſtrum palma Martyrii decoratum exhibent.

Galliæ noſtræ vindicari etiam debet ſtrenuus fidei defenſor *Thomas Felton* ex nobiliſſima apud Anglos ſtirpe, ſed longè nobilior ob glorioſiſſimam mortem Patris ſui *Joannis Feltonii*, qui pro defendendo ſummi Pontificis primatu in Anglia capite truncatus eſt. *Thomas Feltonius* illiùs filius patriis bonis deſtitutus, galliam profectus in *Rhemenſi* collegio ſtudiis operam dedit, ac deindè inſtitutum noſtrum amplexus eſt. *Londinum* poſteà cum perrexerit graves ob cauſas, de ſua ſtirpe & fide interrogatus, ſe *Joannis Feltonii* filium, virum catholicum atque Religioſum eſſe magno animo confeſſus eſt, atque ad patris exemplum pro fide catholica mori paratiſſimum ſe eſſe reſpondit; quibus auditis, conjectus in carcerem patibulo affixus eſt, ann. 1588. die 28. Auguſti. Huic diei mortem *Thomæ Feltonii* Martyrologium Anglicum conſignat his verbis: *anno* 1588. *Reginæ Eliſabethæ anno* 30. *Thomas Felton religioſus Ordinis Minimorum, martyrium paſſus eſt die* 28. *Auguſti*. De eadem morte hæc habet Chronologia *Joannis Stous*: *Thomas Felton, & Joannes Clarkſon patibulo fuere affixi propter deffenſionem Eccleſiæ Romanæ*: Ejuſdem martyrii meminit *Sanderus* in hiſtoria Schiſmatis Anglici.

Juſtos adnotationum limites longè excederem, ſi omnia noſtrorum hominum pro Catholica Fide certamina vellem deſcribere; legere eſt in noſtris Annalibus barbaras Hæreticorum irruptiones in varios conventus noſtros, *Bracacurienſem, Gratianopolitanum*, *Caſtelnaudenſem*, *Gabanenſem* alioſque multos incendiis vel direptione vaſtatos, è quibus pulſi fugatique religioſi incolæ, nonnullis etiam morti crudeliſſimè traditis. Non Hæreticorum duntaxat ſed infidelium quoque furorem experti ſunt homines noſtri. *PP. Arnoldus ab Hydrunto*, & *Archangelus a Meſſanâ* a Pyratis comprehenſi;

cum

cum nullis pollicitationum illecebris, nulla tormentorum vi expugnari potuerint ut Christianam Fidem ejurarent, capite obtruncato in mare præcipitati sunt; de quo quidem mortis genere renuntiatum est ab iis qui viderant & truculentas infidelium manus effugerant. Ejusdem supplicii mentio habetur in actis conventus Generalis Gratianopolitani ann. 1529. Eandem gloriosissimam mortem passi sunt *PP. Petrus Cuellar*, & *Joannes Vegel* in *Granatensi* Regno a Mauris pro Christiana Fide barbarè trucidati. Sed ut alios omittam plurimos, sine speciali memoria prætereundus non est *Guillelmus Serreux* Gallus, qui ad Baleares insulas transitum faciens in *Algerianorum* Piratarum manus incidit, & in durissimum mancipium redactus. Is cum forte occurrisset vacillantis Fidei Catholico viro, & ad Fidem Christianam per summum dedecus ejurandam in forum adducto, in medium prosilire non dubitavit *P. Serreux*, & quibus potuit verbis miserum hominem ad sanam mentem revocare conatus est; quod ut intrepidè aggressus, itá tandem felicitèr obtinuit. Sed versa in *Serreuxium* populi & magistratus rabie, statim ipse ad supplicium raptus est & palo sine mora transfixus.

(13) Innumerabiles omninò sunt illustres familiæ nostræ homines, qui contrà hæreticos sacræ eloquentiæ armis strenuè pugnarunt, eamque ob causam non solùm hæreticorum invidiam, sed odium implacabile in se concitarunt; paucos ex multis seligere satis erit. Adversùs Hæreticos tanta eloquentiæ & Theologicæ ratiocinationis vi in provincia *Lugdunensi* insurrexit *P. Joannes Ropitel* tantamque nominis celebritatem consecutus fuerat, ut *flagellum hæreticorum* vulgò audiret. Impiissimos pseudo evangelii ministros itá acritèr impugnavit debellavitque, ut eum de mĕdio tollere cogitaverint Calviniani; illiùsque vitam per insidias &

cuniculos sæpè tentaverint; atque tandem nefarium consilium apertâ manu ad finem perduxissent, nisi Lugdunenses cives qui sibi, Patriæ Religionique generosum Athletam incolumem servare erant solliciti, eum ad fugam quasi compulissent. *Joannem Ropitellum* meritis elogiis commendat *Rubisius* in historiâ *Lugdunensi*.

In laboribus evangelicis socium adjungemus *P. Joannem Dehem*, qui *Parisiis* non solùm è suggestu hæresim fortitèr aggressus est, sed etiam in colloquio *Poissiaco* suæ doctrinæ illustria præbuit argumenta. De illius sacris concionibus magnificè scribit *Pasquierius* Senatus Parisiensis causidicus; cum veluti facundissimum oratorem, & in theologicis controversiis exercitatissimum impensè laudavit. Nemo acriùs hæreticos oppugnavit, atque unus fuit cui alternas concionandi vices cum cardinali *a Lotharingiâ* sustinere licuerit. Non solùm hæreticorum insidiis lacessitus est, sed etiam catholicorum invidiâ ad Reginam *Catharinam Mediceam* traductus fuit, atque accusatus tanquam violatæ, quod nefas est, in suis concionibus erga Regiam Majestatem reverentiæ reus. At *Parisienses* cives *Dehemium* velut Urbis patronum fideique deffensorem supplicibus votis repetebant. Vox populi & patefacta religiosissimi oratoris innocentia, calumniæ tenebras dispulerunt. *Parisios* redux *Dehemius* summo omnium civium obviam confluentiur applausu exceptus est. Tandem cum anno 1562. Urbem *Parisios* infestaret contagio depopularetque, ad fœminæ cujusdam hoc sævissimo morbo extremoque periculo laborantis confessionem audiendam vocatus *P. Dehem*, huic caritatis officio sese alacrem promptumque præbuit; sed pestilentiâ captus post paucos dies sanctissimè obiit, illiùsque funus frequentissimo omnium Ordinum concursu, adstantiumque lacrymis & desideriis magis quam ullius monumenti fastu gloriosum fuit.

Nullis

Nullis certè verbis laudari satis potest Franciscus Humblot, Ordinis nostri splendidissimum lumen. Per universam ferè Galliam suis concionibus theologicisque disputationibus Hæreticos insectatus est. Plures Calvinianæ sectæ ministros ad silentium adegit, aliquos ad Ecclesiæ gremium reduxit; *Cassagrinum* erroris Calviniani antesignanum, non in privati colloquii latebris & solitudine, sed in ipsâ Civium luce, publicâ dimicatione institutâ profligavit; *Brosselium*, *Chamierum*, *Caillam* & *Villanovanum* insolescentes Calviniani gregis ductores fregit atque prostravit;hæreticos plures devictos fatentesque habuit & Catholicæ Fidei restituit. Hinc factum est ut *Clemens VIII.* Summus Pontifex inter octo concionatores ad debellandam per Gallias hæresim Apostolicâ auctoritate delectos, Humblotum ut potè factioni hæreticæ terribilem præ cæteris destinaverit. Tam frequenti populorum concursu audiebatur ut majus templum Parisiense vix capere posset affusam hominum multitudinem. Sed heu! quam nihil est in humanis rebus firmum ac stabile! Humblotus noster quem avidè expetebant omnes, nefariâ arte ereptus est. Cùm suggestum ascenderet convertendisque hæreticis operam daret, porrecta illi charta, sed veneno præsentissimo illita, quam ubi explicuit, pestiferum tabum totis naribus hausit; nec mora, cerebrum & præcordia invasit lentoque morbo in conventu Turonensi obiit an. 1612. Eximium hunc Fidei præconem hìc paucis laudasse satis sit; at in his adnotationibus alias clarissimi hujus viri laudes suo loco persequemur. Adjungam duntaxat Humblotum nostrum acceptissimum fuisse *Henrico IV.* optimo Principi qui eum concionantem audivit; apud Reginam *Mariam Mediceam* in maxima existimatione is quoque fuit; atque tandem Regina *Margarita* de vario scientiarum genere frequentissima cum eo familiaritèr habuit col-

colloquia; ſed quæ primaria & ſolida laus eſt, oblatas ſublimiores Eccleſiæ dignitates conſtantiſsimè recuſavit; modeſtum verèque religioſum virum hortatus eſt Cardinalis *Oſſatus* a quo laudari elogium eſt maximum, ut ſe Epiſcopum eligi pateretur; ſed religioſis effugiis huic ampliſsimæ dignitati ſeſe ſubduxit. Falsò tamen ſcribit *Dattichius* magnum hunc Cardinalem Epiſcopatu *Montepeſſulano* ſeſe abdicare voluiſſe huncque honorem *Humbloto* propoſuiſſe. Verum quidem eſt Cardinalem *Oſſatum* non minùs pietate quam rerum gerendarum dexteritate inſignem, nihil prætermiſiſſe ut *Redonenſi* Epiſcopatui renuntiaret; at eum *Montiſpeſſuli* Epiſcopum fuiſſe nullibi legitur. De *Humbloto* præclaram mentionem faciunt *Gualterius* S. I. Theologus in Tabulâ Chronographicâ. *Valladerius* in *partitionibus oratoriis* lib. 2. aliique Scriptores plurimi quibus adjungi debet teſtimonium canonici cujuſdam *Virodunenſis* qui *Humbloto* noſtro populari ſuo amiciſſimus fuit, & ſe propriis oculis uſurpaſſe teſtatus eſt litteras plurimas quas ad *Humblotum* dedit Regina *Margarita*, ſuam ergà religioſum doctumque virum exiſtimationem ſignificans eique primaria proponens Eccleſiæ munia, humaniſsimis quidem urgentibuſque verbis. Eandem ferè vitam communemque mortem cum *Humbloto* habuit *Rolandus Guichardus*; at elegantius laudari non poteſt *Guichardus* noſter quam verbis *Teophili Raynaudi* S. I. Theologi qui in *indiculo SS. Lugdunenſium* præclariſsimo elogio Guichardum exornavit; pauca deſcribere ſatis erit: *Quanta fecerit tuleritque ad Catholicæ Fidei ſummis illis turbidiſſimiſque temporibus, propugnationem, operoſum foret in hujus breviculi anguſtias cogere. Quadragies inſuperque ſepties verni jejunii conciones habuit, tempore Catholicis præconibus admodum aſpero, cum omnia Calvinianis factionibus per-*

perstreperent. Nam non modo propinatum semel ac iterùm ab illis utriusque majestatis perduellibus venenum hausit, cujus tametsi antidotis retusam vim, reliquâ tamen vitâ infestam sensit; sed etiam in occitaniæ oppidulo captus, & in ferreâ crate subjectis ignibus torrendus, cum jam esset in ferale stratum reclinatus, suborto repente inter crudelitatis administros dissidio, præsentissimo exitio divinitùs subductus est. Binas insulas nec cogitanti delatas religiosi status demissioni postposuit. Supremam diem obiit Lugduni an. 1612.

Humbloto & *Guichardo* præiverat iisque superstes fuit *Joannes Franciscus de Binans* nobili apud anglos familiâ natus. Is cum Fidem Catholicam liberè & apertè profiteri non posset, in Galliam quindecennis profugit, patriæ, parentibus amicisque, religionis causâ, valedicens Institutum nostrum amplexus est. Nemini certè doctrinâ secundus fuit; antè annum decimum quintum apud suos cultiorem philosophiam jam arripuerat, Theologiam *Parisiis* apud nos funditus didicit, linguarum Grecæ, Hebraicæ, & Latinæ peritiâ excelluit, res controversas omnes itá tenuit ut momenta omnia ad refellendos hæreticos prompta & in numerato haberet. Hinc mirum non est quod his instructus præsidiis, adhuc juvenis magno applausu ad populum verba facere cæperit, *Cassagrinum*, *Calliam* aliosque Calvinianæ Sectæ gregales intrepidè feliciterque lacessiverit. Theologiam positivam, omnibus mirantibus, novâ methodo tradidit, universam Scripturam doctissimis commentariis illustravit; tandem contra Judæos hebraicâ linguâ disputavit, eosque proprio, ut ajunt, gladio jugulavit. Cum *Genebrardo Aquensi* Archiepiscopo doctissimoque viro de Scripturæ Sacræ difficilioribus locis & de hæbreo textu frequentes sermones habebat, nec sine magnâ peritissimi Interpretis *Genebrardi* admiratione. Obiit *Massiliæ*; magnificum funus curarunt honoris

noris causâ Monachi quos *S. Victoris* appellabant, tanto autem populi concursu ut nonnisi per noctem multitudo dissolvi potuerit. Illustre tanti viri exemplum aliquos ex angliâ ad nostrum Institutum pertraxit, quos inter appellare satis erit *PP. Andream Foletum*, & *Henricum Morum*. Pietate & doctrina commendabilis fuit *Foletus* atque pro fidei defensione per tres annos regnante *Elisabethâ* in turri Londinensi detentus est: *Morus* autem illustrioris nominis vir *Thomæ Mori* angliæ magni *Cancellarii* & Martyris pro nepos, gentis suæ a Catholicâ Fide defectionem jugibus lacrymis deplorans, morum innocentiâ & sanctæ Regulæ observantiâ clarus, juvenis adhuc sed cœlo jam maturus beato fine consummatus est.

In ampliorem historiam excresceret opusculum illud, si recensere vellem singula a nostris contrà recentiores hæreticos præclarè & magnanimè gesta. O fortunatas Italiæ Hispaniæque regiones quæ hâc carent gloria; Calvinianæ enim Lutheranæque hæreseon monstra nescierunt; suos tamen & quidèm plurimos atque eximios verbi divini præcones alio opportuniori loco laudandos sibi vindicat apud Italos atque Hispanos Ordo noster.

(14) Præclarissimam inter *Franciscum Lutherumque* antithesim adornavit *Bellarminus* in Oratione *de Gloriâ miraculorum: Hoc nostro sæculo illo ferè tempore quo mortuus Lutherus sua zizania seminare cœpit, floruit in Italiâ alius quidem Franciscus, auctor & parens hominum illorum religiosorum, qui in Galliâ boni homines, in Italiâ Minimi dicuntur, qui tam multis & eximiis signis enituit, ut nullus sit ex veteribus eum quo meritò comparari non possit: Itaque eodem ferè tempore homines duo contrarii inter se extiterunt, Lutherus in Germaniâ, Franciscus in Italiâ*. Multa deindè de *S. Francisco* & de Ordine nostro gloriosè scribit *Bellarminus* quæ legi possunt loco

loco cit. At diversissima neque tamen nobis minùs gloriosa de nostro Instituto reliquerunt scriptores hæretici qui S. Fundatorem, nostramque familiam injuriis & calumniis aggressi sunt; atque maximam quidèm id reputamus gloriæ nostræ partem. Neque de religioso splendore nostro aliquid detrahit quod de nobis scribere non erubuerunt audaciores quidam viri qui Catholicorum nomine gloriantur, inter quos *Polydorus Virgilius* in libro *de Inventoribus rerum*, ubi non solùm Ordinem nostrum, sed religiosas quasque Societates aspernatus fastidiosè traduxit; de quo quidem *Polydori* opere satis erit referre judicium *Petri a S. Romualdo in continuatione Chronici*: *hominis hujus scripto quod de rerum inventoribus finxit, nihil extat nostrâ ætate in lucem editum, pluribus quod scateat nugis, aut futilibus perfluat conjecturis*. Porrò tale judicium proculdubio amplectetur quisquis leget librum hunc putidis calumniis respersum.

(15) *P. Paulus Randeacius a Paterno*, claræ apud Calabros nobilitatis; dum *S. Franciscus* in Galliis morabatur, Vicarii Generalis officio per Italiam functus est. Ità illustris fuit illius Sanctitas, Virtutibus miraculisque comprobata, ut *P. Franciscus Binetus*, paucis post obitum interjectis annis, de illo in Beatos referendo apud Summum Pontificem egerit, decretumque impetraverit ad persequendam de vitâ & miraculis inquisitionem. In *processu consentino* an. 1594. testata leguntur miracula plurima. In Comitiis generalibus Romæ celebratis an. 1623. *Beatificationis* procuratio suscepta est; sed rerum domesticarum angustiæ demandatum negotium retardarunt & tandem urgente nostrorum conventuum religiosâ paupertate, interruptum omninò suspensumquè hæsit; quod quidem sæpè nobis contigit; hac scilicet de causâ nobis aliquandò non licuit externam Sanctorum gloriam procurare multis ex nostris qui æterna gloria

jam

jam donati piè creduntur ..... Ejusdem nominis parisque sanctitatis fuit *P. Bartholomæus a Paterno* quem gloriosa morte defunctum an. 1586. tradunt tabulæ Siculæ ; quæ plurimos quoque *S. Francisci* Socios tanquam miraculis claros referunt .

Mathæus Michael inter primos Gallos qui Ordinem amplexi sunt, eruditione morumque sanctimonia clarissimus fuit ; ut tradunt Annales nostri . Hunc Beatus Parens consiliis suis, scribendisque etiam epistolis peramantèr & utilitèr adhibuit . Eundem fuisse crediderim cum *P. Mathæo de Barsigny* , qui S. Francisci, cum Turonibus esset, Socius fuit , ut legitur in vita *S. Francisci* ab auctore coetaneo conscripta . Hìc autem *Mathæus* cognomento dictus *Michael* in primis Comitiis generalibus inscribitur Socius provincialis Turonensis .

Franciscus Binetus ex nobili apud Gallos stirpe , amplissimis Regni muniis conspicua , in Monasterio Ordinis *S. Benedicti* quod *Mamurtinum* vulgò dicunt *Prioris* , officio fungebatur ; dum S. Franciscus Turones venit . At beati viri colloquiis ad Severiorem disciplinam revocatus nostrum Institutum professus est , ad cujus decus & incrementum tanta deinceps perfecit , ut alter veluti institutor habeatur . Primus post S. Fundatorem Ordinis nostri moderator generalis, hunc tanta sapientia per tres vices gubernavit ut dignissimus *Francisci* successor & tanquam alter *Franciscus* haberetur . De illiùs sanctitate tam præclara fuit opinio ut Cardinalis *Jacobus Simoneta Binetum* his verbis alloqui non dubitaverit : *Nunc quidem Pater* , *causam agis institutoris tui in sanctos referendi* , *erit cum pro te alius eâdem operâ perfungatur* : obiit Romæ an. 1524. in cœnobio *SS. Trinitatis* ubi venerandum illiùs caput religiosè asservatur .

Bineto

Bineto ſuffectus eſt *P. Germanus Lionetus* virtutum fama maximè commendatus. Quanta apud omnes valuerit exiſtimatione ſatis loquitur illius funus religioſa pompa elatum, quod plurium Epiſcoporum & aliquorum Cardinalium præſentia decoratum eſt; magnum omnibus ſui deſiderium reliquit; Pontifex ipſe *Lioneti* mortem comploravit, Patreſque noſtros alloquens hæc verba *Lioneto* glorioſiſsima protulit: *Magnum vos columen amiſiſtis; ego verò bonum & juſtum amicum:* Hæc teſtata invenio in antiquiſsimis noſtrorum Annalium monumentis. *Dionyſii Barbierii* jam meminimus. Hic apud *Maximilianum* Imp. gratiâ & auctoritate valuit, Ordinemque noſtrum ſub his felicibus auſpiciis per Germaniam propagavit.

Jacobus Leſpervierius jam anteà laudatus, virtutum exemplis non minùs quam indefeſſis laboribus Ordinem noſtrum amplificavit. Encomii procul dubio maximi loco eſſe debet, quod is S. Patri fuerit cariſsimus, atque etiam in conſcribendis epiſtolis gerendâque naſcentis familiæ curâ utiliſsimus. Cæterùm hìc, data occaſione, obſervandum eſt *S. Franciſcum* in ſcribendis litteris alienâ quidem manu ſæpè uſum eſſe; neque tamen putandum eſt eum ſcribere neſcium fuiſſe, quod quidem effutiunt aliqui. Quamvis in S. Fundatore *ſcientiam ſanctorum* unicè commendemus, certum tamen eſt non ità illiteratum fuiſſe S. Virum ut nequidem ſcribere aut legere noverit. Et quidem in *proceſs. Calabrico* & *Turonenſi* legitur *S. Franciſcum* recitare ſolitum fuiſſe *Officium B. Mariæ*, *Septem Pſalmos*, *Horas Canonicas*, *eum in ſuo ſermone uſum fuiſſe omninò appoſitè textu Sacræ Scripturæ etiam latinè*. Accedit conſtans inter nos traditio, pietatis & religionis ergò, S. Fundatorem admitti noluiſſe ad presbyteratûs Ordinem quem *Sixtus IV*. Summus Pontifex propriis manibus ei conferre optabat. Huic traditioni noſtræ aſſentitur *Bailletus* ipſe, licet ſeverus traditionum cenſor. At quis crediderit Summum Pontificem conferre voluiſſe

luiſſe presbyteratum homini nulla litterarum cognitione prædito, qui ne legere quidem aut ſcribere calluerit? Quod ſpectat litteras quæ S. Franciſci nomine circumferuntur, omnes ſuppoſititias eſſe temerè affirmant aliqui. Et certè cum *S. Franciſcus* ſcribere noverit, litteras pro bono Ordinis ſui regimine, ſcribere potuit & debuit. At cum multæ circumferantur litteræ a S. Franciſci virtutibus alienæ, velut tanto auctore indignæ prorſus rejiciendæ ſunt. Sed Beato Scriptori detrahi non poſſunt litteræ illæ quæ ab auctoribus coetaneis ei tribuuntur quales ſunt nonnullæ. Ad litterarum illarum normam examinari debent aliæ ſimili teſtimonio deſtitutæ in variis bibliothecis diſperſæ; ſi nempè eandem manum referant, ſi pietatem religionemque ſpirent, ſi tandem ſermonis ſimplicitatem animique candorem præſeferant; hæ ſuppoſitionis argui non debent. Quì enim fieri poteſt ut epiſtolæ diverſis in locis diverſiſque temporibus conſcriptæ, eodem prorsùs Charactere, eadem verborum ſimplicitate exaratæ, coetaneis teſtimoniis comprobatæ & *Franciſco* aſſertæ, ad S. Auctorem non pertineant? Porrò extant plurimæ his Characteribus munitæ litteræ, talemque epiſtolam, ut alias omittam multas, ſe religiosè aſſervare mihi pro ſuâ humanitate litteris ſignificavit nobiliſſimus *Marchio Chiſius* vir omni ex parte Clarus. Sed hæc obiter tantum & oblatâ occaſione dicta ſint; neque enim ad noſtræ Orationis ſcopum pertinent.

P. Ambroſius de Jeſu Hiſpanus virtutum omnium exercitio ſpectabilis fuit. Theologicis ſtudiis excultus in Scholaſticâ & Myſticâ tantum excelluit, ut vix parem habuerit. Myſticam verò non ſolùm ipſe altè imbibit, ſed etiam in alios transfudit. Teſtis eſt religioſiſſima ſoror *Gratia Valentina*, tertium Ordinem noſtrum profeſſa & ſanctitatis fama celebris quæ ab ejus diſciplina prodiit. Teſtis quoque eſt *B. Ludovicus Bertrandus* qui prima ſpiritualis vitæ do-

documenta a nostro *Ambrosio* hausit. Rarum quidem mortis genus & viro Apostolico verè dignum divina benignitate *Ambrosio* concessum est. Cum enim *Valentiæ* pulpitum conscendisset, & de more, ad rerum divinarum contemplationem raperetur, conticuit & mortuo similis obriguit. Sublatus indè & in proximum cubiculum delatus, paulò post expiravit ann. 1541. Funus solemni pompa celebratum est & tanto populorum concursu, quantus unquam in Urbe visus fuit post hominum memoriam. Tanta fuit *Ambrosii* celebritas illiusque sanctitatis gloria, ut ejus vitam scripto tradiderint non solùm aliqui ex nostris, sed etiam de illo fusè scripserint exteri auctores non pauci inter quos honoris causa nominantur *Vincentius Justinianus* Dominicanæ familiæ moderator generalis & deinde a *S. Pio V.* ad Cardinalatûs dignitatem evectus. *P. Joannes Lopes Episcopus Monopolitanus* in vita *S. Dominici*. *P. Franciscus Didacus in Chronico Arragoniæ*; tandem *P. Seraphinus Razzi*, in vita *S. Ludovici Bertrandi*. Hi omnes scriptores *Ambrosium* nostrum eximiis cumularunt elogiis

(16) Primis Instituti nostri temporibus, religiosissima viguit sanctioris disciplinæ observatio ita ut populorum voce tot piè crederentur Sancti quot extiterant Societatis nostræ viri. Et requidem ipsa, præclarissimam de nostris hominibus conceptam opinionem satis demonstrat summus ille civium applausus quo in Urbes admissi fuerunt primævi Sodales nostri. Ordinis nostri apud Summos Pontifices existimationem maximam satis loquuntur *Bullæ* quibus decorata fuère religionis nostræ primordia. Sed hæc fusius persequi non sinit præscripta huic opusculo brevitas.

(17) Multos inter religiosissimos viros a pristina Ordinis nostri Sanctitate minimè degeneres, procul dubio eminet. *P. Gaspar Bonus*, cujus virtutes ità fuère illustres ut in

Comitiis generalibus masſiliæ celebratis ann. 1611. aliiſque deindè univerſi Ordinis noſtri conventibus decretum fuerit, ut apud Sedem Apoſtolicam *Gaſpari* in Sanctos referendi negotium omni ope ageretur; quod quidem hactenùs tardiori ſucceſſu præſtitum fuit, non virtutum aut miraculorum ſed rerum domeſticarum inopia. Neque apud nos glorioſa tantum fuit venerabilis viri memoria; ſed cum ad ſepulchrum magna conveniret hominum multitudo & unanimi voce teſtata audirentur miracula plurima; id in cauſa fuit ut decernente *Illmo D. Joanne Ribera Patriarcha Antiocheno, Archiepiſcopo Valentino* Gaſpari corpus Feretro conditum magnificè & eleganter pannis inſtratum, in privatum quoddam altare ſublatum ſit. Actum id anno 1609. ſolemni pompâ quam peregit Rm̃us *D. Thomas de Eſpinosâ Marrochianus* Epiſcopus. *Gaſpari* laudes eleganti Oratione complexus eſt Rev. *D. Gaſpar Eſcolanus* Regni *Valentini* Hiſtoriographus. *Gaſparo* ſocium ſtatim ſubnectemus *Fr. Franciſcum a Longobardis* licèt multò recentiorem & his ferè noſtris temporibus. Sed cum utriuſque acta ſupremo S. Sedis judicio nunc ſubjiciantur, & de illis venerandis viris ſanctorum Catalogo adſcribendis nunc agatur, hos quorum gloria communis eſt, in eodem loco numerare convenientiſſimum fuit.

Ad Ordinis noſtri laudem adjungere quidèm ſatis foret nullam eſſe in familiâ noſtrâ Provinciam quæ viros Sanctitatis fama percelebres identidem proponere & prædicare non poſſit. Sed ut alios omittam innumerabiles, paucos eo loci recenſebimus. Turonenſis Provinciæ monumenta venerandam *P. Duanii* memoriam nobis reliquere. Is cum humanioribus litteris diligentem operam dediſſet, Romam adeundi conſilium iniit in hac florentiſſima Urbe graviora ſtudia proſecuturus. Urbem appulſus viros litteratos doctri-

naque

naque insignes qui philosophicas Mathematicasque disciplinas privatim traderent mercede conduxit, apud illustriores homines ipsos etiam Emos Cardinales frequenter versabatur, omniumque admirationi extitit, ob præstantissimum ejus ingenium atque in juvenili adhuc ætate maturum & acre judicium. In Galliam reversus amplissimis opibus liberiorisque vitæ illecebris renuntians, Institutum nostrum amplexus est, tantaque virtutum omnium fama excelluit ut apud Magnates ipsos & optimates omniumque Ordinum cives, sed præsertim apud Augustissimam Principem *Annam Austriacam Ludovici XIII.* selectissimam conjugem, sanctitatis gloria maximè commendabilis fuerit. Hæc pientissima Princeps, dum *Turonibus* moraretur, *Duanium* frequens invisebat Religiosis ejus colloquiis fruitura. Neque privatis duntaxat vitæ religiosæ virtutibus excellens fuit, sed Theologica quoque doctrina, & divinæ eloquentiæ ubertate maximè valuit. Prophanæ facundiæ fucum aspernatus, rationum pondere, sanctioris vitæ exemplo atque auctoritate scelestissimos quoque viros ad meliorem mentem revocavit. Tot perfunctus religiosis evangelicisque loboribus obiit anno 1636. Mortis ejus nuntio in Urbem perlato ad funus plenis viis accurrit effusa civium multitudo qui pedibus oscula figerent, qui vestem qua indutus erat sibi certatim optarent, concisisque laciniis arriperent. Primarii Turonenses viri necnon omnium cœtuum Religiosi homines, ejus exequias in venerationis testimonium publicamque significationem prosequuti sunt. Servantur in Plesseis Tabularis litteræ ab illustrioribus quibusdam viris ad nostræ familiæ homines datæ quibus tanti viri jactura deploratur, ejusque sanctitas maximè celebratur: patrata ab eo referuntur miracula plurima ... *P. Moreavius* vir fuit Sanctitatis fama Clarissimus. Extat ejus vita typis edita. Satis sit observare cum

eum tanta virtutum miraculorumque gloria illustrem fuisse ut in Comitiis generalibus ann. 1629. actum fuerit de probanda atque promovenda apud S. Sedem Religiosissimi hujus viri Sanctitate. Hic *Suessione* natus est, opibus potens ære suo conventum nostrum Suesionensem fundavit, & seipsum deindè omni auro longè pretiosiorem nobis tradidit. Suessione obiit ann. 1626. ab Illmo & Rmo *D. Le Gras Suessionensium* Episcopo, celebratæ fuerunt illius exequiæ, magna Civium frequentia exornatæ..... neque laudari satis posset, si harum annotationum brevitas longiorem permitteret sermonem. *P. Nicolaus Barreus Ambiani* natus a.1621. Hic liberaliter educatus, eloquentiæ artem Mathematicasque disciplinas apprimè didicit, suique ingenii acumine omnium admirationem in se excitavit. Institutum nostrum professus, in studiis theologicis celerrimos fecit progressus; sua denique summa doctrina usus est tum ad domesticam nostrorum adolescentum eruditionem, tum ad promovendam in publicis concionibus fidei morumque sanctitatem. Nec sua contentus opera propriisque laboribus, sed fæminarum cœtum instituit quæ puellarum institutioni studiosè invigilarent, easque præceptis & virtutum exemplis informarent. Sapientissimis legibus hunc fæminarum Ordinem instruxit, & per universas ferè Galliæ provincias non sine magna utilitate propagata fuit hæc institutio. At quod hujus instituti maxima certè laus existimari debet, Illma Domina de *Maintenon* ducentas quinquaginta nobiles Virgines pietati Christianæ in Regiâ domo Sancti *Quirici* formare meditata, eo fine duodecim ex fæminis illis scholarum magistris advocavit. Exantlatis tot laboribus pro aliorum utilitate, cælestem mercedem reportaturus obiit Parisiis an. 1686. tantam relinquens sanctitatis famam ut ad sepulchrum accurreret Regia civitas venerationis ergò sedibus suis excitata.

P. Hie-

P. Hieronymus Detienneus nobilissima apud *Aquisoxtienses* familia natus, in ipso ætatis flore institutum nostrum professus est, in quo illibatam duxit vitam, sancta morum simplicitate admirandam. In tractandis convertendisque perversæ vitæ hominibus singulari gratia valuit, nullis parcebat laboribus ut eos ad spem, fiduciam, melioremque mentem revocaret. Sed ipse qui prudentibus consiliis alios animos sublevaverat, severiori scrupulosaque conscientia ità vexatus fuit ut in summam solatii necessitatem conjectus fuerit; tandem extremos dies mentis tranquillitate serenos habuit, divinisque solatiis perfusus animam Deo reddidit an. 1712. Conscriptos habemus de ejus vita & virtutibus libros duos in quibus multa a religiosissimo viro prædicta leguntur atque probantur. Extant selectæ ejus epistolæ quæ summum religionis pietatisque amorem spirant.

Breviorem vitam sed cælo maturam egit *P. Paulus Trouchet* cujus vitam quoque habemus typis traditam. Hic *Arelate* ex antiqua Patriciaque familia natus an. 1611., ultimum diem obiit an. 1647. ardens sui desiderium ob morum suavitatem & sanctimoniam reliquit; vita ejus sæculo obscura, sublimioribns virtutibus illustris fuit atque conspicua; singulari veneratione a suis popularibus colitur. Innumerabiles inter nos extitere viri sanctitatis fama celebres; sed paucos ex multis appellasse satis sit.

(18) *Reverendissimum D. Didacum de Sylva* nobilem Lusitanum inter familiæ nostræ homines referunt annalium nostrorum Scriptores. Et jure quidem merito hunc illustrissimum virum sibi vindicat Ordo noster. Regnante *Joanne III.* habitæ fuerunt in Lusitaniâ publicæ de rebus fidei controversiæ quibus *Didacum de Sylva* Ordinis nostri Theologum præesse supremâ auctoritate voluit *Clem. VII.* Pontifex Maximus qui *Didacum* generalem, ut vocant, *inquisitorem* constituit.

ſtituit. Hunc Ordinis noſtri alumnum fuiſſe fidem facit diploma quo *Clemens VII.* a *Joanne III.* Luſitaniæ Rege rogatus, hoc ampliſſimo munere *Didacum* exornavit. Diploma illud datum eſt VI. kal. Jan. 1531. hiſque incipit verbis: *Cum ad nihil magis*: Sed cum eidem muneri *Didacus* noſter aliquandiù vacaſſet, & in compeſcendis hæreſibus quæ in dies gliſcebant ſtrenuam dediſſet operam, Summus Pontifex hanc poteſtatem Nuncio ſuo adjudicavit datis ad Sanctæ Sedis Nuntium in Luſitaniâ litteris quarum initium eſt: *Venerabilis frater*: Sed Rex qui *Didacum* Religionis & doctrinæ famâ commendabilem ſummoperè charum habebat, eum Romam miſit apud Sedem Apoſtolicam ſuo & Regni nomine qui Religionis ſtatum referret. Romæ cum eſſet non tam Regis commendatione quam ſuo merito Summi Pontificis gratiam ſibi conciliavit. Referunt *Freita* & *Paramus*, fidei & pietatis præmium a Summo Pontifice accepiſſe *Didacum* atque Epiſcopum *Septenſem* eum fuiſſe creatum. Nec prætermittendum eſt duos extitiſſe in Luſitania ejuſdem nominis, ſed non ejuſdem familiæ viros. Primus fuit *Didacus* noſter, alter autem fuit *Didacus a Silva* ex Ordine *Minorum S. Franciſci* qui *Inquiſitoris* generalis officium adminiſtravit quoque. Hic anno 1534. *Septenſis* Epiſcopus deſignatus eſt, & deindè anno 1540. Archiepiſcopus *Braccarenſis* renuntiatus; quas quidem dignitates duas certiſſimis documentis comprobatas invenio; quare ſi *Didacus* noſter *Septenſis* Epiſcopus fuerit, breviori certè tempore hac dignitate potitus eſt; cum ad hæc circitèr tempora *Didaci* noſtri obitum referant annales noſtri, immo *Didacum* noſtrum Romæ mortuum fuiſſe ex *Montoja* aliiſque rerum noſtrarum Scriptoribus colligi poteſt. Hìc autem ſine annotatione præteriri non debent quæ leguntur tom. XVI. annalium Minorum: *circa idem tempus* nempè 1535. *eum* nempè Didacum noſtrum,

de-

decessisse non improbabile judicat P. Franciscus Jacquier ejusdem familiæ Scriptor annalium quem honoris causâ nomino: quæ quidem verba de me honorificentiùs dicta non ità debent intelligi quasi Didacum an. 1735. obiisse affirmaverim; si enim hoc ipso anno Didaci mors contigisset jam *Septensem* Episcopum hunc fuisse omninò repugnaret; nihil ergo aliud significare volui, nisi *Didacum* paucioribus annis post ejus Romam adventum ibidem obiisse, quantum ex nostris chronicis conjectari licet. Ita enim utriusque *Didaci* Episcopatus *Septensis* conciliari potest.

Ordinis nostri decus imò & Cleri gallicani ornamentum fuit Rm̃us & Illm̃us *D. Renatus le Clerc* ex clarissima in supremo Parisiensi Senatu familiâ ortus. Hic institutum nostrum professus est in *Plessæo Turonum* conventu an. 1610., non solum omnia religiosi status officia præclarè gessit, & *Ducatûs Burgundiæ* provinciam dignitate provincialis, ut vocant, primus omnium decoratus, sapientèr gubernavit, sed apud Regem *Ludovicum XIII.* tantâ Religionis virtutumque omnium laude floruit ut anno 1627., ætatis suæ 37. Episcopus *Glandatensis* designatus fuerit & in nostrâ æde Parisiensi consecratus. Post multa Christianæ pietatis pastoralisque officii insignia opera an. 1651. è vitâ migravit & boni vigilantissimique Pastoris memoriam atque summum desiderium apud oves suas reliquit. In templo *Glandatensi* sepultus est jacetque sub obscuro & religioso marmore, sed præclarissimis laudibus exornato. Non solum religiosis virtutibus, sed vario etiam litterarum genere insignis fuit. Hujus sæpè honorificentissime meminit *Cartesius* cui familiarissimus fuit, & in eruditione Socius. Eundem quoque gloriosè nominant *San-Marthani in Galliâ Christiana*.

Illm̃us ac Rm̃us *D. Franciscus de la Fare* in Episcopum *Regiensem* inauguratus fuit an. 1625. is nobilissima stirpe

oriundus, religiosi instituti simplicitatem natalium splendori anteponens, familiæ nostræ nomen dedit. Theologus fuit eximius; in celeberrimis Hispaniarum academiis ad studia Theologica informatus, nativum Gallicæ gentis acumen cum hispanicâ gravitate in concionando conjunxit, & in eâ facultate inter paucos excelluit. Nostram *Provinciæ* provinciam gubernavit & ad supremum totius Ordinis regimen a multis expetitus; sed ampliori dignitati servatus, *Regiensis* Episcopus electus est. Verum non totos tres annos hoc sacerdotio functus, honorifica legatione ad res Cleri Regnique componendas *Pictavum* profectus & in suam Urbem negotiis feliciter gestis rediens, vehementi febre attactus, ad Archiepiscopatum *Aquensem* jam designatus, sublimiores dignitates in meliorem vitam commutavit.

Nostro *Francisco de la Fare in Regiensem* Episcopum suffectus est an. 1630. perillustris vir *P. Ludovicus Donis d'Attichy* familiæ nostræ alumnus, qui ex officio provincialis, ut dicunt, Ducatus *Burgundiæ* ad *Regiensem* episcopatum evectus est. Hoc ipso anno delectus fuit ut apud Regem totius Cleri Gallicani causam ageret, quâ legatione ad optatum finem perductâ, ipse Cleri Gallicani nomine Regi gratias egit. Generis nobilitate conspicuus, rerum divinarum scientia excultus, pietatis & religionis amore præstantissimus, nihil habuit quod desiderare posset præter corporis vires, ecclesiæ suæ bono consecrandas; debiliori tamen valetudine conflictatus, nulli pepercit labori ad promovendam populorum suorum utilitatem. Verum cum puriori morum disciplinæ severè invigilaret, censurasque ecclesiasticas in aliquos perditæ vitæ homines infligere paratus esset, parum tuta fuit vigilantissimi Antistitis salus; quam ob causam ad Ecclesiam *Augustodunensem* translatus est. Circà idem tempus, vita functo Emo Cardinale *Richelio Lugdunensi* Archiepisco-

piſcopo, *Ludovicus* noſter pro antiquiſsimo Epiſcoporum *Auguſtodunenſium* jure, *Lugdunenſem* Eccleſiam vacante Sede adminiſtravit. Alio quoque Antiſtitum *Auguſtodunenſium* privilegio, Comitiis Burgundiæ præfuit, & pro eorundem comitiorum ſolemni inſtauratione, coram Duce *Eſpernonio Burgundiæ* pro-Rege, adſtantibus Provinciæ primoribus peroravit. Religioſiſsimi paſtoris officia non ſolùm implevit; ſed etiam litterarum ſtudiis ſummoperè deditus, varia reliquit opera inter quæ præcipuo loco numerari debent Ordinis noſtri hiſtoria generalis Gallicè conſcripta & opus aliud inſigniorum Cardinalium elogia continens, tribus Voluminibus comprehenſum. Ceterùm quanto doctrinæ eruditioniſque delectu libros conquiſiverit ſatis oſtendit pretioſa atque numeroſa librorum ſuppellex quâ noſtram Ducatus *Burgundiæ* Provinciam locupletavit.

Neque in muneris Epiſcopalis exercitio minus illuſtris fuit Rm̃us *P. Gaſpar Dinetus* qui cum ad Moderatoris Generali dignitatem expeteretur, *Matiſconenſis* antiſtes electus fuit. Dignitati probitatem, morum integritatem & ſuavitatem atque inſignem dicendi facultatem ſummamque eruditionem conjunxit. Diœceſim impigrè perluſtravit nec ſine fructu longè maximo, doctrinam moreſque ſummâ vigilantiâ curavit; Seminarium Clericorum erexit, aliaque ſcientiarum & bonæ diſciplinæ adjumenta ſuppeditavit. *Henrico IV.* optimo clementiſſimoque Principi maximè gratioſus, ab eodem Secretioribus Regni arcanis adhibitus eſt, & rerum difficiliorum frequentibus litteris particeps factus. Comitiis Cleri Gallicani ſummâ laude non ſemel interfuit, atque in iiſdem comitiis an. 1617. Lutetiæ celebratis ob facundiæ gratiam ad Regem orator delectus eſt, apud quem, frequenti Clero comitante, pro Eccleſiâ Monte-peſſulana a perduellibus hæreticis vexatâ atque oppreſsâ ſtrenuè per-

 ora-

oravit ; exulantem apud *Bearnenses* Catholicam Religionem, direpta Ecclesiarum bona fortissimè conquestus est, & piissimum Principem ad vindicandam Fidei & Ecclesiæ injuriam animavit. Et reipsâ Hæreticorum furorem longè latèque compressit invictissimus Princeps, pacem Regno, Ecclesiis bona, Religioni Majestatem restituit. Is fuit fortunatissimus legationis exitus. Sed *Gaspar* noster *Matisconem* reversus, Deo, sibi, commissæque gregi vacans, an. 1620. occubuit non improvisâ morte quam tres ante annos, parato sibi jam sepulchro, expectabat, eâ in Deum fiduciâ quam Divina misericordia puraque conscientia in Religioso viro excitant.

Dineto nostro individuus Comes, & necessitudine quæ virtutum similitudine coaluerat conjunctus fuit *Antonius de Boulogne* qui Ordinem nostrum apud *Lugdunenses* professus ad Ecclesiæ *Diniensis* regimen assumptus est anno 1602. Hanc Ecclesiam placidè ac Sanctè administravit piissimus Antistes, mansuetudinis laude, morum integritate suis Fratribus plebique suæ carissimus; sed infirma tentatus valetudine in dies ingravescente obiit anno 1615. Corpus ejus *Diniæ* in templo *S. Hieronymi* conditum est extructo lapideo tumulo cui hæret Clarissimi Viri effigies. *Antonium* nostrum litteris ad *Mersennum* datis impensè laudavit Vir Clarissimus & R. D. *Petrus Gassendus* ejusdem Ecclesiæ *Diniensis Canonicus* Theologus, Politiori litteratura, doctrinæ varietate, & reconditioris philosophiæ scientia omnibus notissimus. Gloriosam Antonii nostri mentionem faciunt *Sanmarthani*, qui nobilem ejus stirpem ex clarissima apud Italos *Capizuccorum* gente derivarunt.

Multos inter Ecclesiæ præsules qui Ordinem nostrum illustrarunt, nulli certè secundus fuit Rmus D. *Gaschius* Archipræsul *Panormitanus*. Vix primos adolescentiæ limi-

tes

tes egressus, nostro Instituto nomen dedit *Valentiæ* apud Hispanos. Humanis divinisque scientiis apprimè excultus, mirum quanta doctrinæ copia ac splendore sivè in scholis docendo, sive in sacris pulpitis fideles ad pietatem informando refulserit. Juvenis adhuc ad suæ Provinciæ regimen assumptus, aliisque in Ordine nostro muneribus summa cum laude functus, tandem concordibus omnium votis summus Familiæ nostræ moderator renuntiatus est. Vix elapso officii generalis tempore ad Archiepiscopalem *Pavormi* sedem totiùs Siciliæ primariam evectus est. Episcopum induens, Religiosum non exuit, neque aliud sibi ex summa dignitate arrogabat nisi ut se omnibus patientia, religione virtutibusque superiorem ostenderet. Mœrentium consolator, Pauperum Pater, pupillorum ac viduarum defensor, amplos redditus non pompæ & vanitati, sed vestiendis nudis pascendisque esurientibus consecrabat; ipse solus egere exoptans egenos tam liberali manu sublevabat, ut in suis ædibus nihil esset quod religiosam paupertatem non redoleret, atque ipse sibi non solum non concederet superflua sed recusaret quoque necessaria. Deo & hominibus acceptus mortuus est in senectute bona an. 1729. Extat Illmi Præsulis nostri vita Italico idiomate conscripta in quâ sigillatim recensentur præclara illius gesta, atque etiam miracula quædam ab eo patrata referuntur.

Illmus D. *Franciscus Palancus* Instituti nostri in Hispaniâ fulgentissimum lumen, tanta floruit doctrinæ Theologicæ laude ut *S. Inquisitionis Censor*, Archiepiscopi *Toletani Synodalis*, ut vocant, examinator & Vicarius Generalis assumptus fuerit, ac tandem *Panamensis* Episcopus electus. Quam merito hanc obtinuerit doctrinæ famam ostendunt plurima quæ typis edidit opera. De sublimioribus difficilioribusque Theologiæ argumentis nempe de *Fide Theologicâ*, de

de *Spe & Charitate* de *Providentia & humanâ libertate* atque de *Sanctitate Dei* tres *in fol.* libros conscripsit; eximium quoque librum reliquit de *Conscientiâ humanâ*. Tandem *Cursum Philosophicum* prælo dedit tribus voluminibus *in qu°.* comprehensum. Hæc sunt præcipua *Palanci* nostri opera severiori scolasticâ metodo tradita, quæ summam in disputando argutiam nativamque gentis suæ subtilitatem demonstrant. Hæc autem opera non solum in utraque *Castella* in qua semel & iterùm Provincialis moderator extiterat, sed etiam per universas Hispaniæ Provincias frequenti usu & maxima laude fuerunt propagata.

Ultra Annotationum fines longè excurrerem si vel ipsos illustriores familiæ nostræ Antistites vellem appellare, satis sit paucos ex multis breviùs recensere. *Franciscum* de *Mayda a Paulo* Episcopum *Lavellensem* .... *Gregorium a Paulâ* Episcopum *Neocæsariensem* .... *Raphaelem Pizzurnum* ex *Guardiensi* Episcopatu translatum ad *Sagonensem* .... *Laurentium de Pedraza* Episcopum *Palentinum*, *Perniensem* Comitem & Hispaniarum Regi a consiliis ... *Bernardinum a Fuscaldo* Episcopum *Oppidensem* ... *Michaelem Stela* Episcopum, *Jaccensem* .... *Josephum Perimezzum* Episcopum *Oppidensem*, deindè Archiepiscopum *Bostrensem* non mediocris doctrinæ virum qui varia reliquit opera inter quæ primum locum sibi vindicat *Cursus Theologicus*. Cæterum licet opus illud aliis id genus quæ antè edita fuerant operibus palmam non præripiat, ex eo tamen quamvis paulo festinanter conscripto licet cognoscere auctorem in rebus theologicis fuisse versatissimum. Paucos ex multis antistites nominavimus, sed longè plures extiterunt in familia nostra religiosæ simplicitatis viri, qui ultro delatas ecclesiæ dignitates non raro apud nos exemplo declinarunt; horum jam aliquos laudavimus, alios nonnullos deindè laudaturi.

(19) Ab

(19) Ab ipsis natalibus peperit familia nostra alumnos plurimos doctrina & sanctitate præstantissimos, quorum numerus crevit maximè cum ipso Ordinis progressu. Multos jam ab antiquioribus nostris temporibus perillustres viros numeravimus; aliquos iterùm adjungemus & quibus incrementis aucta fuerit gloria nostra, per temporum seriem demonstrabimus. *Rolandi Guichardi* memoriam ipsis *Theophili Raynaudi* verbis jam celebravimus; cum *Rolando* conjugi potuisset alter *Simon Guichardus*; quia tamen hic aliqua reliquit doctrinæ suæ monumenta quæ ad præsentem orationis nostræ locum magis pertinent, licet ambo fuerint virtutum meritis pares; utriusque elogia dividimus. De hoc quoque *Guichardo* nostro honorificè omninò scripsit laudatus *Raynaudus*: *Simon Guichardus Ordinis Minimorum præfectus generalis* XV. *vir sanctus & linguarum Græcæ præsertim ac Hebreæ peritiâ* clarissimus; addere poterat (caldeæ atque Arabicæ) ut testantur plurimi quos earumdem linguarum in nostra Aquisextiensi bibliotheca reliquit codices manuscripti. Rerum usu & exquisita prudentia pollebat *Guichardus*; tanta doctrinæ vi & soliditate in refellendis hæreticis valuit ut *hæreticorum malleus* vulgò appellaretur; quo quidem glorioso nomine exornati fuerunt alii ex nostris. Interfuit Concilio Tridentino in quo orationem habuit tanto omnium patrum plausu exceptam ut Religiosum hunc virum ex *minimorum* Ordine, honorifica verborum lusione *maximum* omnes vocaverint. Neque solius *Theophili* elogiis commendatus fuit *Guichardus*, sed eum magnificis laudibus decorarunt alii Scriptores non pauci, inter quos doctissimus *Caninius* qui in sua linguarum Syriacæ, Arabicæ & Æthiopicæ grammatica *Guichardi* doctrinam virtutesque celebravit & ex ejus colloquiis se multum profecisse fassus est. *Guillelmo Duprat* Episcopo *Claromontano* magni ejusdem nominis Cancellarii filio

ca-

cariſſimus fuit *Guichardus*, atque inprimis Emo Cardinali *Turnonio* Lugdunenſi Archiepiſcopo acceptiſſimus; univerſas fere Galliæ provincias concionando perluſtravit non ſine fructu maximo; cum improbos homines non paucos ad meliorem vitam, hæreticoſque nonnullos ad veram fidem revocaverit. At cum audiviſſet turpiſsimam Epiſcopi cujuſdam ab Eccleſia defectionem, inceſtaſque nuptias contrahendi nefarium conſilium, eum adiens a propoſito deterrere atque ad bonum ovile paſtorem reducere imperterritus, tota qua valebat doctrinæ vi, tentavit. Sed magnanimos Religioſiſsimi viri conatus glorioſa mors excepit; nefarius enim Epiſcopi Aulicus, potius dicam, Sicarius, magnanimum noſtri *Guichardi* pectus gladii pila validè percuſſit, & optimum patrem Senio laboribuſque fractum morti dedit anno 1574.

Iiſdem ferè temporibus Lutheranorum Sectam validè aggreſſus eſt *P. Joannes Thierry* Lingonenſis, in operibus Theologicis quæ Summis Pontificibus *Adriano VI.* & *Clementi VII.* nuncupaverat. Juris doctrina præſtantiſſimus fuit; decretum *Gratiani* annotationibus plurimis locupletatum, & commodiſſimis indicibus inſtructum edidit; *Decretales* varioſque de jure Canonico & Civili tractatus ſingulares ſæpiùs recuſos prælo commiſit. Hujus Scriptoris noſtri meminit *Poſſevinus* in Apparatu Sacro .... Inter ſtrenuos fidei & Religionis præcones numerari etiam debet *Michael Gorgeu* qui in Theologiâ morali exercitatiſſimus non ſolum in Sacro Pœnitentiæ Tribunali fidelium ſaluti maximè ſtuduit; ſed etiam in Theologiâ dogmaticâ verſatiſſimus cum hæreticis qui apud *Abbavilleuſes* impia dogmata è ſuggeſtu ſpargebant, in arenam publicè deſcendit. Nec verbo tantùm accerrimiſque diſputationibus adversùs eoſdem pugnavit, ſed etiam ſcriptis quæ prælo parata, ingraveſcente ſenectute morteque præoccupatus in lucem

lucem non edidit..... Huic adjungimus Tobiam *Eckart* in fidei controversiis versatissimum, qui in templo *Pragensi* Lutheri libros è suggestu perlegebat, tantâque doctrinæ vi refellebat ut Hæreticos plurimos ad Ecclesiam reduxerit. . .

Joannes Bruno è Scotiâ oriundus summa Theologiæ doctrinâ & disputationis subtilitate celeberrimus fuit. Plures Londini annos egit Catholicorum gratiâ quos non tantum in fide confirmavit, sed etiam hæreticos plurimos ad Ecclesiæ castra revocavit. Abdita S. Scripturarum Sacramenta summo studio indagavit. Linguam Sanctam apprimè callebat eamque publicè *Avenione* docuit; in linguâ Græcâ aliisque nonnullis Orientalibus linguis versatissimus fuit. Ad judæos Avenionenses publicas conciones habuit tantâ Sacrarum Scripturarum vi eaque linguæ Sanctæ peritia ut plurimos Christo pepererit. Pauciores quidem & non magni momenti libros edidit, sed manuscripti codices quidam asservantur in nostra Parisiensi Bibliotheca, atque etiam alibi tanto viro digni, ita ut eos ad publicam utilitatem typis committi optandum omino sit. Obiit Bruxellis an. 1645.

Brunoni adjungi debet *Jacobus Bonaventura Hepburnus* qui non solum Theologiæ fuit peritissimus, sed etiam incredibili ferè linguarum varietate exornatus. Edidit *Lexicon linguæ Sanctæ* & alia quædam opera; sed præclara multa meditatus & nonnulla jam habens parata quæ prælo committeret, morte præventus est. Selectissimam habebat librorum suppellectilem quorum plurimi ad nostram *Pincianam* Bibliothecam pervenerunt...... *Hepburnum* excipit *Andreas Reale* Theologicâ doctrinâ linguarumque peritiâ maximè commendandus. Typis edidit linguæ Sanctæ Grammaticam quâ nullam novi faciliorem & ad hujus linguæ studium magis accommodatam. Suâ Hæbrei idiomatis peritiâ

ſtudiosè uſus eſt ad refellendos judæos quos propriis armis debellabat.

Neque juſtis elogiis defraudari debet *Franciſcus Lanovius* qui in Chronico Generali, illuſtriores noſtros homines eleganti Sermone celebravit. Inſtituto noſtro nomen dedit an. 1614. & eorum omnium quos ipſe laudavit virtutes unus complexus eſt. Non ſolim religioſis moribus apud omnes clarus fuit; ſed fidem quaſi ſuperat admiranda quâ pollebat reconditioris doctrinæ varietas. Tantam elaboraverat & jam prælo paraverat librorum copiam ut Bibliothecæ loco eſſe potuiſſent. Operum catalogum nobis ſervavit clariſſimus *P. Renatus Thuillier* in Diario noſtro Pariſienſi, quorum operum aliqua edita ſunt, alia autem in noſtra Pariſienſi Bibliothecâ latent non ſine magno Reipublicæ Litterariæ detrimento. Optandum maximè foret ut in lucem aliquando prodirent ſequentia opera: *Concordantiæ Hæbreo Latinæ Veteris Teſtamenti quibus ad origines ſuas ſingulæ voces expenduntur, ratio diverſitatis inter Hæbreos & Latinos codices diſquiritur, & vulgata editio Latina per minimos quoque apices examinatur, aſſeritur, vindicatur*: Harum concordantiarum jam ab anno 1629. editum eſt ſpecimen aliquod ex quo univerſum opus cognoſcitur & magnopere exoptatur. *Inſtitutio Theologi quâ formantur prima ejus ſtudia, tum methodi Concionum, controverſiarum, Catecheſum, caſuum conſcientiæ, prælectionum cum optimo genere interpretandi Scripturas prolixe traduntur & omnia Theologi officia pertractantur .... Theologia hiſtorica, ſeu origo, progreſſus, ſucceſſus & incrementum doctrinæ Chriſtianæ per conſequentes ſæculorum ætates obſervata & digeſta in quacumque materiâ theologicâ, ita ut in promptu eſſe poſſit quo primum tempore orta ſit de quâlibet re quæſtio, quid ultra deinceps circa eam fuerit obſervatum, dictum, animad-*

adversum, & quem denique in statum sit perducta .... Historia Ecclesiastica de sæculo in sæculum sub iisdem titulis disposita quibus Magdeburgenses suas centurias digesserunt, quo facilius & ipso quasi conspectu errores eorum & fallaciæ deprehendantur, arguantur & revincantur: Horum operum aliorumque bene multorum argumenta, necnon summa auctoris doctrina vehemens acuere debent desiderium ut locupletissimus ille rerum Theologicarum thesaurus in Bibliothecarum scriniis diutius non prematur.

P. Claudius Rangolius illustri apud *Crespiacenses* familiâ natus, in ætate jam adultâ Ordinem nostrum amplexus est. Non solum vulgaribus studiis sese dedit, sed Hebraicis Græcisque litteris apprimè eruditus, in Latinâ Gallicâque facundiâ nemini secundus fuit. Latinæ quâ excellebat insigne reliquit documentum in duobus commentariorum tomis quos in libros Regum edidit; illud quidem opus a sacrâ Indicis Congregatione, inter libros prohibitos justa censura relatum est, ob præfationes impiissimi hæretici *Vermilii* vulgò dicti *Petri Martyris*, iisdem Commentariis præfixas; at religiosus Auctor noster sanctæ Fidei tenacissimus *Vermilii* errores in operis progressu validè impugnavit. Gallicæ eloquentiæ quâ plurimùm valebat testes sunt illiùs ad populum Conciones tantâ eloquentiæ vi conscriptæ, ut serenissima *Regina Margarita a Valesio Henrici Magni* conjux hoc Regium pronunciaverit judicium, se plurimos Oratores & quidem disertos audivisse, sed neminem *Rangolio* eloquentia præstantiorem. Vir fuit non inferioris Sanctimoniæ, illiusque elogium nullo possumus luculentiori testimonio absolvere quam verbis *Mersenni* nostri in Epistola ad Amicum data: *Non absque lacrymis hanc Epistolam scribo, vir clarissime; cum enim Rangolii recordor quem Scio nuper decessisse, mediam istius Mundi partem amisisse mihi videor.*

Hæc enim erat viri probitas, singularisque pietas, doctrina & eloquentia ut eum nullus alloqui aut illius uti familiaritate posset absque solatio. A laudato Viro Rangolium nostrum laudari satis est. Obiit die 3. Octobris ann. 1625.

In hâc annotationum brevitate non licet speciali laude prosequi illustres alios viros qui scriptis Sacrisque concionibus Ordinis nostri gloriam mirificè auxerunt, atque propagarunt; horum nomina vix appellabimus. *Joannes Cannartus* ex celebri Doctore Theologo Parisiensi, Canonico & Archidiacono Suessionensi ad Ordinem nostrum transivit; plurima reliquit magni moliminis opera quibus ultima non accessit auctoris manus. Edidit compendium Rethoricæ sæpius recusum..... *Albertus Berutus*, Sacræ Theologiæ & Ecclesiasticæ Historiæ benè doctus, edidit *compendium Baronii*, & commentaria in *Summam S.Thomæ* jam paraverat... *Hilarion de Coste* non Theologiæ tantum sed Historiæ Sacræ & Prophanæ peritus fuit, conscripsit Gallico idiomate: *Historiam Catholicam sæculi* XVI; edidit quoque *elogia Regum Franciæ* .... *Joannes Baptista des Bois* Theologus insignis, linguarum peritiâ humaniorumque litterarum cognitione celeberrimus. Is cum tenui afflictaque valetudine perpetuo laboraret, multis quæ jam paraverat operibus ultimam manum admovere non potuit; controversiarum *Bellarmini* Epitomen summo Theologorum plausu exceptam edidit .... *Robertus Renaut* cujus meminit in Bibliotheca *P. le Long* in Theologia exercitatissimus fuit, Sacræ prophanæque historiæ peritissimus, controversis inter Catholicos & Sectarios quæstionibus summam dederat operam, cujus hunc retulit fructum ut publicum certamen cum *Maillarto* pseudo evangelii ministro inire non dubitaverit, & hæreticum turpiter devictum suis quoque deridendum præbuerit. In conquirendis ab omni antiquitate numismatibus sedulum & di-

diligens ſtudium impendit. Eo litteraturæ genere incenſus iter in Orientem ſuſcepit, multiſque Imperii, ut vocant, *declinantis* numiſmatibus auctus eſt. Redux Pariſios rei litterariæ promovendæ, & ſelectiori Bibliothecæ quæ eo auſpice cæperat & creverat perficiendæ ſe totum dedit. Aliqua in lucem edidit opera, ſed Commentario *de Sacris hominibus & Hiſtoriam Reginarum Franciæ* jamjam editurus, ejus conſiliis mors præmatura intercurrit.

Hìc data occaſione *Roberti Renaut* qui peregrinationem litterariam in orientem ſuſcepit, virum non inferiorem adjungam *Minutium Theophilum* qui dato familiæ noſtræ nomine, non philoſophiæ ſolùm ac Theologiæ operam dedit, ſed etiam perdiſcendis Græcæ & Hebraicæ linguis acerrimo ſtudio incubuit, eaſque ita pulchrè calluit ut quot quot hujus litteraturæ peritiores ſuo tempore floruerunt, de ejus doctrina optimè exiſtimaverint. *Marino Merſenno*, *Buccardo*, *Annibali Fabrotto*, *Gaſſendo* ac *Peyreſcio* fuit amicitia conjunctiſsimus. *Minutius* etſi nullo ingenii ſui fætu Rempublicam litterariam ditaverit, de ea tamen optimè meruiſſe dici poteſt; quippe qui pro ornando exquiſitioribuſque monumentis augendo celeberrimo per Orbem *Peireskii* muſæo, eum diù multumque inſudaſſe teſtis nobis eſt *Gaſſendus* in vita *Peireskii*. Verba *Gaſſendi* deſcribam: *Peireskius miſit in Orientem Theophilum Minutium ex Minimorum Ordine qui uberiora (nempe ſacrorum Bibliorum monumenta) requireret. Et ſane ſpe ſuâ fruſtratus non eſt; ille enim optima ſorte comperit acquiſivitque Biblia Samaritanica cum adjunctis in Tritaplorum formam Hæbraicis Arabiciſque, eodem ſcilicet Samaritanico charactere, idque præter duo teſtamenta Syriaca Arabicoſque Codices complures. Adſportavit etiam libros non paucos ac potiſſimùm copticos, hoc eſt, charactere & idiomate Ægyptio antiquo conſcriptos. Advertit & Mumias duas,*

duas, cadavera, videlicet antiquissimæ illius & sumptuosissimæ conditura, quarum altera fuit præcipuè grandis, integra, insignis, & quantum licuit ex ornamentis conjicere, principis viri. Attulit & numismata ex quibus existimavit tetrodragmata duo, alterum Atticum, alterum Syrium ac numisma Hugonis Regis Jerosolimorum & Cypri. Anno 1632. codices Samaritanos misit Parisios Peireskius ut magnorum Bibliorum compleretur editio. Summam ex Minutii reditu capit lætitiam Peireskius, ideoque eum iterato destinavit ut venatum iret libros Orientales, deditque in Comitatum Henrici Gornai Marchevillæ Comitis, Oratoris Regii Constantinopolim discessuri. Attulit ex Oriente libros quam plures cum numismatibus variis ac Basilidianis præsertim, itemque Bulbosis plantis aliisque hujusmodi rebus. Inter cætera pretio habendum quoddam Volumen repertum intra capsulam ad Mumiæ pedes & magnam Græcorum Codicum copiam: Hæc *Gassendus* de *Minutio* in vita *Peireskii*. Ea deinceps *Peireskium* inter & *Minutium* invaluit necessitudo ut illorum neuter absens ab amico vivere posset. Clarissimo *Peireskio* in extremis adstitit Minutius, eique ultima Religionis & amicitiæ officia administravit.

Insignes alios Concionatores celebresque Theologos paucis verbis attingam. Ex hoc munere sunt, ut alios omittam longè plures qui recenseri possint: *Petrus Blanchot* Orator eximiusque Theologus a quo prodierunt opera duo præcipua: *Bibliotheca Concionatoria SS. PP.* & *Idea Bibliothecæ Universalis* .... *Joannes Morales* gravissimus Theologus & Historiographus cujus opera aliqua manuscripta se oculis usurpasse testatur *Lanovius* eaque dolet typis non fuisse edita. Sed Historiam Provinciæ *Bæticæ* lingua sua Hispanica conscriptam habemus .... *Franciscus Tamayo* in Tribunali Cordubensi S. Inquisitionis Qualificator & consultor,

tor, qui deindè ad Supremum Inquiſitionis conſilium vocatus eſt, inter celeberrimos ætate ſua concionatores annumerandus, in primariis Hiſpaniæ atque Italiæ ſubſelliis omnium admirationem excitavit.... *Nicolaus Leſguillier* è vetuſta & copioſa *Leſguilleriorum* gente in Gallia, qui non ſolùm ſtudioſam juventutem noſtram per longum tempus ea imbuit Theologica doctrina quam hauſerat a ſuis doctiſsimis Magiſtris *Gamacheo*, *Iſamberto*, *Hennequino*; ſed etiam aliqua edidit opera, nempè *Paraphraſim Epiſtolarum S. Pauli ad Romanos*, *ad Hæbreos & ſecundæ ad Corinthios*; item *opuſculum de ratione ſtudiorum*. Illiùs dictio elegans eſt & nitida; politiori enim litteraturæ, Poetarum atque Oratorum lectioni aſsiduam dederat operam.... *Mathurinus Aubert* Gallus qui *Pii V.* Summi Pontificis nomine, viſitatione Apoſtolica per Gallias functus eſt, ut adversùs inſurgentes & pullulantes novas hæreſes animos ſuorum obfirmaret, quod præſtitit eximiè. Redditurus Pontifici Maximo rationem eorum quæ geſserat, Romam reverſus, ibidem ſedem fixit, & magno apud Romanos in honore extitit ob functam egregiè Legationem Apoſtolicam. Pontifici ipſi longè acceptiſſimus fuit, qui priuſquam Pontifex fuerit *Auberto* noſtro ſuam conſcientiam crediderat. Commendatur in Conventu Generali XVII. ob ſummam rerum agendarum ſolertiam, diligentiam & fidem..... *Robertus de S. Gilles* ex illuſtri apud Normannos ſtirpe, illuſtriora Galliæ pulpita concionum ſuarum fama implevit..... *Antonius Duflos* ex nobili apud atrebatenſes familia natus in liberalitus litteris ſumma cura inſtitutus, Philoſophiæ & Theologiæ apprimè doctus, utramque facultatem in Romana Urbe explicavit, ſummo omnium applauſu. Cum moraretur Romæ, animadvertit pro eo privatim agi de Epiſcopatu, idque ſuum Fratrem ſummo deſiderio expetere. Verum homo nil

nil nisi æternitatem cogitans de hac re nulla verba audire voluit, & omnia fratris amicorumque suorum consilia elisit .... *Petrus Guerinus* eximius orator fuit, hunc concionantem audivit *Henricus IV.* librum conscripsit *de residentiâ Episcoporum.* Guerini nostri meminit *Edmundus Richerius*; quod quidem eo nolim dictum consilio quasi aliquid laudis *Guerino* nostro indè accedat; sed ut *inimici* quoque *nostri sunt judices* .... *Petrus Hebertus* Ordinis nostri moderator generalis, vir fuit pietate sincera, virtute solida, doctrina singulari in concionibus, suavitate in convictu & colloquiis commendabilis. *Adurensem* episcopatum ab *Espernonio* Duce cui semper magna in veneratione fuit, ultrò oblatum constanter recusavit .... *Ægidius Cammartus* qui fuit quoque moderatur Generalis, Hebraicè, Græcè & Latinè doctus, sacræ facundiæ fama maximè floruit. .... *Antonius Finetus*, virtutum exemplo, eruditionis & eloquentiæ gratia clarissimus, verbo ita potens fuit ut adversùs hæreticos qui Tolosæ invaluerant fortis & acer pugnaverit, eosque, pro concione, validè profligaverit. De eo præclarè meminit *Georgius Bulquerus* Senatus Tolosani jurisconsultus in opusculo: *de Hæreticorum profligatione* ... . *Petrus Pijart* frequentissimæ auditorum scholæ Sacram Theologiam summo omnium applausu tradidit. Duos insignis hujus Magistri discipulos honoris causa nominamus *Joannem Franciscum Molezzannum* qui Martyr in Anglia occubuisse refertur, & *Antonium Rutæum* scriptis plurimis Clarum. *Pijartius* varia edidit opera inter quæ palmam sibi præripit: *Bibliotheca Sanctorum & Antiquorum Patrum concionatoria*. Hujus Bibliothecæ pars maxima transivit in *auctuarium Bibliothecæ Concionatoriæ SS.PP.* quod edidit doctissimus *P. Combefisius ex Dominicanorum familiâ*. In nostra bibliotheca Parisiensi asservantur ejusdem auctoris commentarii

tarii in epiſtolas S. Pauli, quod quidem opus ità perfectè elaboratum judicant viri docti, ut illud in lucem prodire vehementer exoptaverint.

(20) Enarrare longuis eſſet ad hanc uſque ætatem pietate & doctrinâ præſtantiſſimos viros qui Ordinis noſtri gloriam ſuſtinuère; unaquæque Provincia prædicare poteſt ad recentiora uſque tempora religioſiſſimos homines omni virtutum genere percelebres: paucos ex multis appellabimus ex quibus his quoque poſtremis temporibus familiæ noſtræ veluti ſpecimen capere liceat. Speciali memoriâ digniſſimus eſt *Franciſcus Giry* qui patrem habuit *Ludovicum Giry* in Senatu Pariſienſi ſecretioribuſque Regis conſiliis patronum. Gravioribus licet curis diſtentus Ludovicus, litterarum ſtudia aſſiduè coluit: nondum inſtituta erat Pariſiis Academia quæ a linguâ vernacula nomen habet; præclariſſimos ingenioque excellentes viros ſibi ſocios adjunxit D. Giry qui linguæ noſtræ leporem atque elegantiam perficerent. Quare in paterna domo veluti nata dici poteſt percelebris Societas illa, quæ ad ſervandam procurandamque cultiotis Sermonis puritatem nunc maximè floret, in quam cooptari certatim ambit quantùm eſt hominum è primaria nobilitate litteras amantium. Quæ cum ita ſint, mirum non eſt quod *Franciſcus* noſter paternis curis inſtitutus, virtutis doctrinæque rudimenta unà cum lacte veluti hauſerit. Philoſophiam ac Theologiam ſumma cum laude per plures annos docuit; neque tamen dogmaticam ſcholaſticamque Theologiam ità ſtuduit diſcipulis exponere ut *Myſticam* negligeret, atque in ſuis lectionibus id ſemper intendit ut ſui auditotes fierent quidem doctores, ſed amore Dei ferventes. Morum innocentia, affabilitate ſpectatiſſimus fuit, pietatem qua ipſe imbutus erat aliis inſtillare ſollicitus libros edidit veræ pietatis ſenſu refertos. Imprimis verò: *colloquium Chriſti & animæ*

Christianæ : alterum librum prælo mandavit : *centum humilitatis capita* complectentem, qui clarissimæ D. *Ducissæ de Vantadour* ità probatus fuit, ut eum proprio sumptu typis iterum dandum omnibusque gratis distribuendum ipsa curaverit. Præterea, ut alia omittam opera nonnulla quæ serenissimæ Galliarum *Delphinæ* cui semper gratissima exiterunt, dedicaverat, inter omnia potiori sanè loco numerari debent *acta Sanctorum*, elocutionis nitore & religiosæ, non tamen intemperantis, Critices delectu opus perfectissimum ; hæc acta, ex præcedenti *P. Simonis Martin* editione, adornaverat *P. Giry* atque hanc iterum editionem auxit & locupletavit *P. Raffron*, *Francisci Giry* in suis laboribus virtutibusque imitator. In vitis illis quæ sunt nitido Sermone conscriptæ laudem præcipuè merentur dissertationes in Sancta Religionis nostræ mysteria....

Nicolaus le Febure d'Ormesson ex domo splendida copiosaque ortus, Thologus & concionator fuit eximius. Tantam prudentiæ opinionem apud omnes sibi comparaverat ut Illmus *D. Franciscus Harlæus* Archiepiscopus Parisiensis ipsi demandaverit plurium in Urbe Lutètia conventuum moderationem atque reformationem : onus difficile quo præclarè functus est. Magna quoque in sacris Concionibus valebat facundiâ, edidit orationes plurimas quarum præcipuæ sunt, *S. Ludovici Francorum Regis oratio panegyrica* ; *laudatio funebris Annæ Austriacæ Reginæ & matris Ludovici XIV*.... *Antonius de Boyenval* vir fuit præstanti eruditione clarus : plurimos reliquit manuscriptos codices qui doctrinam illiùs paremque pietatis amorem testantur. Aliqua tamen edita sunt opuscula : *de divitiis salutis* : *civis Sanctorum* : *amaritudo mortis dulcissima* ; ultimum hunc librum tanti fecit *Armandus Card. de Richelieu* ut in dies sub noctem unum ex eo caput sibi prælegi juberet : *ex Sandero* ..... *Carolus Franciscus Amounet* Bruxellensis Apostolico munere diversis quinque idiomatis functus

ctus est & tanto quidem plausu ut a serenissimo Principe *Joanne Austriaco*, *a Serenissimo Archiduce Leopoldo* non sine admiratione auditus fuerit, atque etiam inter ordinarios ut vocant, Regiæ Catholicæ majestatis concionatores cooptatus. Non inani facundia ornatæ erant illiùs conciones, sed sublimiori Theologiæ doctrina & SS. Patrum documentis roboratæ .... *P. Philibertus Bressand* tanta floruit Sacræ eloquentiæ famâ, ut ad verbum Dei fidelibus annuntiandum in præcipuis patriæ suæ *comitatùs Burgundiæ* subselliis per Senatus posceretur & obtineretur. Ad Belgium deindè perrexit ubi mox in prædicatorem Regium adoptatus, harum Provinciarum Gubernatoribus, viris Principibus, Ducibus aliisque omnium Ordinum nobilibus, non tantùm a confessionibus, sed etiam in rebus maximè arduis a secretis consiliis fuit. Per adventus & quadragesimæ dies singulos quadraginta annis in Civitate Bruxellensi conciones habuit, tanto minimèque interrupto nobiliorum civium concursu ut plusquam 150. rhedæ persepè numeratæ fuerint.

Multos jam recensuimus his etiam temporibus doctrina Theologica percelebres viros quibus adjungemus *Antonium Boucat* amplissimæ institutionis Theologicæ auctorem; quod quidem opus licet aliis id genus operibus non antecellat, virum tamen in doctrina Theologica versatissimum satis probat. Præstantissimos certè his etiam temporibus ostendere possemus Theologos qui vel modestiæ ergo; vel aliis de causis suam doctrinam apud nos premere, & intra Religionis nostræ aut Urbium limites manere voluerunt .... Anno proximè elapso accepimus mortem *P. Pons* qui *Matriti* apud Hispanos non solum doctrinæ Theologicæ fama sed Hebreæ & Græcæ linguarum notitia maximè floruit. Nobilibus primariisque viris acceptissimus fuit, atque ego ipse audivi nobiles viros & optimos litteraturæ Judices

qui

qui cum inter primarios Hiſpaniarum litteratos viros numerare non dubitaverint; vir fuit ſeverioris diſciplinæ tenaciſſimus .... Paucos ante annos in Italiâ obiit *P. Galvanus* qui, licet publica non reliquerit doctrinæ monumenta, ſummam tamen apud optimos Judices reportavit nominis celebritatem: omnium loco ſit *Benedictus XIV.* Pontifex Maximus quem de Galvano honorificentiſſimè loquentem audivi, cujus quidem judicii exceptione omni majoris illuſtre dedit teſtimonium, cum *Galvanum* noſtrum Illm̃o Præſuli de *Auriâ* ad *Francofordienſia* comitia legato & deindè ad Sacræ Purpuræ dignitatem evecto ſocium ſingulari delectu adjunxit. In Academiâ Bononienſi Hiſtoriam Eccleſiaſticam per multos annos publicè docuit, in qua quidem facultate non ſolum excelluit, ſed etiam dexteritate ingeniique acumine maximam exiſtimationem apud primarios Urbis cives ſibi comparavit ..... Iiſdem ferè doctrinarum inſigniis exornatus aliquos antè annos vixerat *P. Studendolius* qui in Collegio *de Propaganda Fide*, Theologiam docuit & deindè ſtudiorum præfectus aſſumptus eſt. *Clemens XI.* Pontifex Maximus hunc Theologum adjunxerat Illm̃o Præſuli *Bentivoglio* in Gallias Legato, & poſtea Cardinali. Apud omnes Galliæ Antiſtites magnam exiſtimationem ſibi comparaverat; Romam & ad ſua ſtudia reverſus multos reliquit manuſcriptos Codices quos ad Cardinalis *Beſozzii* manus perveniſſe certo ſcio, hoſque nunc latere ſuſpicor in Bibliotheca Monaſterii quod *S. Crucis in Jeruſalem* Romæ appellatur.

Inter nos invenio juriſprudentiæ peritiſſimos viros complures quorum aliqui jam appellati fuere. Porrò non de eâ loquor juriſprudentiâ quæ in forenſi ſtrepitu poſita eſt & a Religioſi Inſtituti pace abhorret; ſed eam intelligo facultatem quæ Eccleſiaſticas civileſque leges complectitur,

ſeu

ſeu quæ Ethicam Chriſtianam civilemque politiam continet. *Iſidorus a Meſſanâ* facundiſsimus Orator fuit & Canonici juris doctiſſimus. Edidit librum cui titulus: *Rationale Sacrorum Canonum*: *Iſidorum* appellare non dubitat *Trimarchius* Italiæ decus..... *Hieronymus Trimarchius* Theologiæ juriſque Canonici fuit peritiſſimus. Aliqua in lucem dedit opera quorum præcipua ſunt: *de horis Canonicis*: *de præceptis Eccleſiæ*: *de methodo ſtudendi*: alios qui de legibus tractabant libros ſe vidiſſe teſtatur *Lanovius*, ſed ii lucem non aſpexere.... *Lucas de Montoya* qui Ordinis noſtri chronicon conſcripſit, Theologus fuit præſtantiſſimus & juris præſertim *Regularis* apprimè doctus. Inter varios libros a *Montoya* editos eminet opus in quo explicatur *Senſus Metaphoricus omnium locorum S. Scripturæ*. Sed dolendum eſt hunc excellentiſſimum auctorem prælo non commiſiſſe alia duo opera quæ ſummo ſtudio paraverat. Primum eſt de quo ſcribit ad *Merſennum* noſtrum, nempe continet: *vitam Cardinalis Ximenii*, *Complutenſis litterariæ Reipublicæ monumenta*, *leges*, *facultates*, *claros viros*. Alterum opus quod immenſi laboris eſt, inſcribitur: *Index univerſalis totius S. Scripturæ & SS. Doctorum & PP. Latinorum & Græcorum in quo ſingula quæque ſummariis & argumentis diſquiruntur*.

Laurentius de Peyrinis de jure *Regulari* multos conſcripſit libros, quibus non ſolum ſeſe verſatiſſimum probat in Sacris Canonibus & Regulari diſciplina, ſed etiam theologiæ moralis doctiſsimum...... *Stephanus Iſnard* Sacris Canonibus & monaſticæ diſciplinæ aſsiduam dederat operam. Hic auctor eſt opuſculi cui titulus: *Codex Minimus*: illuſtris quoque orator fuit; typis editas reliquit Sacras conciones plurimas Gallico idiomate ....*Gaſpar Paſſarellus* Theologus & Juriſconſultus peritiſsimus varia typis dedit opera

ra quorum præcipuum eſt: *Summa caſuum conſcientiæ....* *Adeodatus Lomellinus* Sacræ Theologiæ juriſque ſcientia apud ſuos Genuenſes celeberrimus fuit, & merito quidem. Prælo paraverat: *Summam caſuum conſcientiæ: & annotationes in Concil. Trid.*

Joannes de Malras utriuſque juris peritiſsimus fuit, licet nulla ſcriptis conſignata ſuperſint doctrinæ ſuæ monumenta. Is comes fuit Regii, *ut vocabant*, conſiſtorii, ſub Franciſco I. atque ex hoc ampliſsimo munere ad Minimorum Ordinem tranſire voluit. Ita ſpectata erat illius virtus & probè perſpecta in rebus adminiſtrandis dexteritas, ut in ipſo ætatis flore in totiùs Ordinis Antiſtitem electus fuerit. Sub Magiſtratus ſui finem Malraſius noſter, mandato Henrici II. Regis qui ejus in rebus agendis peritiam noverat, Romam profectus eſt de gravibus Regni negotiis apud Summum Pontificem acturus. Hac Regia procuratione vix perfunctus & Pariſios reverſus ſupremum diem piè obiit.

(21) In ipſis familiæ noſtræ primordiis inſignes habuimus Mathematicos, in Sacris Studiis non minùs verſatos. *Trimarchius* noſter laudat *Paulum a Meſſanâ* tanquam celebrem Mathematicum; nulla tamen in hoc ſcientiarum genere edidit opera; ſed typis mandavit vitam *S. Franciſci de Paula* verſu heroico conſcriptam. Tanta apud ſuos Meſſanenſes elegantioris Poeſeos fama floruit ut, veteri more, lauream coronam publicè retulerit. Alterius quoque *Bartholomai a Meſſanâ* meminit *Trimarchius* qui *Bartholomæo* aliqua tribuit de rebus mathematicis opera; ſed hæc nos latent..... *Franciſcus Humblot* ob vitæ ſanctitatem doctrinamque theologicam jam anteà laudatus nec ſatis laudandus, in Mathematicis diſciplinis egregiè verſatus eſt. Poſtquam ille *Viroduni* undè oriundus erat, humaniores lit-

litteras altè imbibit, tredecim annos natus *Mussipontem* moxque *Trevirim* profectus, operam daturus Philosophiæ ac Mathesi quas tanta ingenii celeritate arripuit, ut è discipulo Magister sphæram manu gestans depictus sit & per *Germaniam* circumductus. Insigniores deindè peragravit Galliæ Academias in quibus jurisprudentiæ, Medicinæ, Theologiæ Doctor singulatim renuntiatus est. Viginti quinque annos nondùm natus trium facultatum laurea donatus, reconditiori eruditione tantum sibi nomen fecit ut ab Academiis *Tholosæ* & *Salmanticæ* publicas lectiones explicaturus deposceretur & ingentibus stipendiis alliceretur. Sed ostentationem divitiasque despiciens ut Deo se totum daret, instituto nostro nomen dedit, & eam sanctè gessit vitam quam alio loco narravimus. Religiosa litterariaque colloquia frequens habebat cum Augusta *Margaritâ Valesiâ* cujus jussu composuit Matheseos Elementa, quorum explicationem ab ipso Humbloti ore excipere atque audire solebat Regina ipsa. Hæc tamen elementa typis edita non fuere, sed plures alios habemus doctissimi auctoris libros, varias nempe conciones funebresque orationes, atque opus aliud quo Eucharistiæ dogma adversùs Calvinianos vindicatur. *Mersennus* noster explicans *cap.* IV. *Genes* ex Humbloto repetit methodum quâ utebatur ad scientias in concionum usum transferendas, quam quidem licèt tenuitèr ille libaverit, ex eo tamen specimine promptum est intelligere quanta & quam præclara animo versaret *Humblotus* quæ lucem haud dubiè aspexissent, nisi mors quam alibi descripsimus uno fatali ictu illius consilia atque opera perculisset .... Antequam ad alios progrediar Mathematicos toto orbe celeberrimos hìc statim subjungam *P. Joannem de S. Lo* parentibus claris & in arte bellicâ conspicuis natum. Parentibus suis in militari scien-
tia

tia nihilo impar, in castris Regiis egregiè meruisset Majorumque suorum gloriam sustinuisset, nisi oblatam sibi fortunam contemnens, uni Deo militare satius duxisset. Mathematicæ disciplinæ adeò ipsi in amore & deliciis erant ut in iis labores impendisset omnes, nisi *sapiens ad sobrietatem* in scientia theologica qua excellebat, majorem collocasset operam. In Mathesi tamen haud mediocritèr versatus fuit, atque ingenii formam habebat ad illud studiorum genus maximè idoneam; hujus scientiæ voluptate ità rapiebatur ut de eâ loquens gaudio exilire videretur. Artibus & Mechanicis laboribus oblectationis causâ, aliquando operam dabat. De his tamen disciplinis nihil scriptum reliquit; sed in Actis SS. a *P. Francisco Giry* in lucem emissis extant lucubrationes aliquæ nostri *Francisci de S. Lo* quas testatur Auctor in operis proloquio a se descriptas fuisse quales ex primi Scriptoris manu prodierant.

Marinus Mersennus vir raræ doctrinæ, scientiarum varietate insignis atque admirabilis, in rebus Mathematicis & musicis excellentissimus, in Philosophicis ac Theologicis argumentis versatissimus, & variarum linguarum peritissimus. Præclaris animi ingeniique dotibus æquè præditus fuit; ea præstitit morum simplicitate ut puerilem ingenuitatem referret; hunc rariorem quem in suis moribus expressit candorem legere est in præfationibus quas operibus suis præfixit; singula verba religiosum ingenuumque hominem demonstrant. In Collegio *Flexiensi* humanioribus litteris operam dedit, & deindè ad Philosophiæ Matheseosque studia se totum convertit; studiorum Socium habuit *Cartesium* & litteraria necessitudine ad mortem usque conjunctum. Peracto literario curriculo, Parisios venit, & Theologiæ stadium in celebri Sorbonico Lycæo ingressus est, eximios optimosque studiorum Moderatores & Magistros

audivit

audivit *Gamachæum*, *Duvallium*, *Isambertum*: his munitus doctrinæ præsidiis de capessendo vitæ genere cogitavit, a quocumque abhorrens vitæ instituto in quo aliqua rei familiaris & domesticæ procuratio suscipienda esset; quare Ordinem nostrum in quo eam quam tantoperè amavit simplicitatem observaverat, amplexus est, atque per plures annos summam quam hauserat doctrinæ copiam apud nos propagavit. Cum doctissimis viris litterarium fovebat commercium, omniumque existimationem & amicitiam sibi conciliabat. Vix ullus erat in Urbe musices peritus, aut scientiarum politiorisque litteraturæ studiosus, aut etiam ingeniosus artifex qui Mersenni nostri comsilia & præcepta non captaret. Nemo ex eruditorum natione Parisios accedebat, qui eum adire atque audire officio & honori non haberet. Neque intrà Urbem aut Gallias sese ejus fama celebritasque continebat; non solum illius nomen omnes longè latèque regiones pervaserat; sed ipse etiam in Italiam, Germaniam Belgiumque iter litterarium instituerat, doctos eruditosque viros conveniens, studiosè observans omnia ex quibus aliquod capere posset eruditionis & doctrinæ incrementum, atque maximam apud litteratos omnes sui ipsiùs commendationem relinquebat. Nulliùs quidem momenti sunt, & recordatione nullatenus digna censeri debent leviora facta quæ hominum vulgo contingunt; sed quidquid magnis viris accidit, etiamsi parvum sit, aliquam tamen magnitudinis partem veluti acquirit. Quare duo quæ Mersenno nostro obtigère, exigua licet, hìc enarrare non pigebit. Mersennus Leodio profectus Coloniam, haud longè Leodio in nefarios prædones incidit a quibus pessimè habitus, non pecuniâ tantùm emunctus est, sed ad cutem usque spoliatus, in paleâ perdiù delitescere coactus est; donec tandem nactus beneficum ductorem salvus & in-

columis, subministratis vestibus, eò quo tendebat deductus, ibique honorificè exceptus illatæ injuriæ oblitus est. Aliud quid simile expertus fertur Antuerpiam pergens, in ipso Urbis aditu creditus explorator ab hostibus veniens, tunc enim bellum agebatur, per tumultum frementis Plebeculæ datus est in custodiam & in turrim conjectus, ubi noctem exegit. Postridiè adfuit excubiarum præfectus apud quem quis esset professus, vocatis qui eum nossent è nostris qui in ea Urbe sunt, multo cum honore ac præteritæ injuriæ deprecatione in domum nostram reductus est: tantùm persæpè est scientiæ commodum ut aliquando viri docti nullo alio commeatu quam nominis sui celebritate muniti, viam sibi patefecerint. Ex suis itineribus hunc fructum reportavit Mersennus ut frequentissimum cum viris litteratis commercium epistolicum servaverit, atque religiosa illiùs cellula velut ditissimum Reipublicæ litterariæ emporium extiterit. Multa reliquit eximia opera quorum præcipua sunt: *Quæstiones celebres in Genesim*: *Harmonicorum libri*: *de sonorum causâ, causis & effectibus*: *cogitata Physico-Mathematica*: *impietas Deistarum & Atheorum expugnata*: *veritas scientiarum*: Quod libros Theologicos spectat, dicere ausim ea quæ Mersennus suscepit argumenta a clarissimo Auctore tractata fuisse tantâ doctrinæ ubertate, ut quidquid deindè dixerint Scriptores alii, in hoc nostro facilè reperiantur. Quod autem attinet Philosophica opera; apud Viros musices peritos tanti pretii sunt quæ de hoc argumento conscripsit ut aliis quæ hactenùs editæ sunt hâc in re lucubrationibus longè præstare videantur. In promovendis quæstionibus maximâ pollebat ingenii dexteritate suisque interrogationibus sollicitavit multorum problematum solutionem & præsertim *Cycloidis* proprietates, quæ quidem in universâ ferè mathesi utilitates maximas produxere.

re. Merſenni noſtri memoriam commendant celeberrimi Scriptores; eum in ſuis litteris amicè & honorificè tractavit *Carteſius*, illiùs vitam conſcripſit *Hilarion de Coſte*; multa quoque ad Merſennum pertinentia edidit *Bailletus* in vitâ Carteſii.

Emmanuel Maignanus apud Toloſates nobili familiâ natus inter primarios ætate ſuâ litteratos viros numeratur. In rebus Theologicis, Philoſophicis & Mathematicis pari magnoque ſucceſſu verſatus eſt; quam quidem doctrinæ varietatem demonſtrant egregia illiùs opera quorum hæc ſunt præcipua: *Philoſophia Sacra: Curſus Philoſophicus*: *Catoptrica Gnomonica;* Quod ſpectat Philoſophiam Sacram, hæc continet nonnullos Sacræ Theologiæ tractatus, accuratâ methodo conſcriptos. Eandem methodum ſpirat curſus Philoſophicus cui nonnullas adjunxit quæſtiones Mathematicas quæ autoris doctrinam oſtendunt. Sed reconditior ejus ſcientia in diſciplinis Mathematicis, luculentiùs apparet in opere *Catoptrico*. Cæterum obſervari debet Matheſim eo tempore ad eum non perductam fuiſſe perfectionis gradum ad quem pervenit hac noſtrâ ætatæ; ſublimioris enim Analyſeos auxilio deſtituti erant hujus diſciplinæ ſtudioſi; at de litterariis hominum meritis prudens rectumque fieri non poteſt judicium, niſi ad eam in qua floruerunt ætatem revocentur, &, ut ità dicam, retrahantur. Verum cum nævis ſuis non careant magni quoque homines, qui ſemper homines ſunt, prætermittere non debemus opuſculum quoddam a Maignano noſtro conſcriptum: *de uſu licito pecuniæ:* quod quidem aliqua continet Sanioris Ethicæ Principiis, non ſatis conſentanea. Hinc in librorum prohibitorum indicem relatus legitur libellus ille. Cæterum quanto in honore fuerit Maignanus apud ſuos Toloſates ſatis loquitur illius effigies in publico Urbis Palatio aſſervata. At alium quemlibet

 hono-

honorem longè ſuperat illa exiſtimationis ſignificatio quam Magnano noſtro demonſtrare ſumma clementia non dedignatus eſt Ludov.XIV. qui Toloſa tranſiens, Religioſiſſimum doctiſſimumque virum inviſit, ejuſque modeſtiam non minùs quam doctrinam miratus eſt.

Joannes Franciſcus Niceronius vario litterarum genere præſtans fuit, ſed in opticis præſertim excellens. Summam illius his in rebus peritiam domonſtrat opus cui titulus eſt. *Thaumaturgus opticus*: in quo perſpectivæ præcepta difficiliora explicantur & facili ratione demonſtrantur. Subtili valebat ingenio judicioque firmiſſimo, in rebus agendis tractandiſque expeditus fuit; quamquidem laudem Niceronio tribuit P. Franciſcus Lanovius qui Galliam viſitaturus eum ſibi in collegam adſcivit. In rebus Mechanicis & in ipsâ etiam Machinarum fabricâ verſatiſſimus fuit, difficiliumque inſtrumentorum ipſe propriis manibus artifex. In tam excellenti ingenio magnam ſpem collocaverat Ordo noſter, immo & univerſa Reſpublica litteraria; at eum vix 33. annos natum præmatura mors præripuit.

Carolus plumier in rebus Mathematicis Maignani diſcipulus fuit; quamvis in Matheſi Theoreticâ fuerit non mediocritèr verſatus, in Mechanicis exercitiis præſertim valuit. In teleſcopiorum, microſcopiorum, ſpeculorum cauſticorum conſtructione exercitatiſſimus fuit: ſed in arte *tornatili* mirâ pollebat dexteritate quam luculentè teſtatur eximium opus de hac arte conſcriptum. In Botanicis peritiſſimus fuit, tantaque erat ejus doctrinæ fama ut ad Regem ipſum Ludovicum XIV. pervenerit, cujus magni Principis juſſu in Americam laborioſum utiliſſimumque iter tertio ſuſcepit, ut exoticas plantas in noſtram Galliam transferret. Quartum iter in Americam aggreſſus ut arborem quam corticem *Quinquina* appellant examinaret, obiit

in

in portu *Gaditano* qui *Sanctæ Mariæ* dicitur. De plantis Americanis eximia duo reliquit opera; at de Bonanice plurimos habemus manuſcriptos Codices qui in Bibliothecâ noſtra Pariſienſi aſſervantur. Ego ipſe vidi Pariſiis in muſæo viri clariſſimi *Antonii de Juſſieu*. Botanices poſeſſoris Pariſienſis, multa de exoticis plantis a Plumierio noſtro conſcripta opera, de quibus hoc teſtimonium, glorioſiſſimum quidem, audivi ab hoc judice doctiſſimo, ſe nihil unquam legiſſe in hac materiâ accuratius, nihil majori deſcriptum diligentiâ. Porro quamvis manuſcripti Codices illi in privata Antonii de Juſſieu Bibliotheca lateant, pertinent tamen ad Academiam Regiam Scientiarum Pariſienſem quam Rex litterarii hujus Theſauri hæredem ſuprema auctoritate inſtituit.

Fevillæus rerum Aſtronomicarum peritiſſimus, indias Occidentales Regis juſſu ſemel & iterum profectus eſt. Itinerum ſuorum hiſtoriam duobus voluminibus in 4. comprehenſam typis edidit; multa ad Aſtronomiam, hiſtoriam naturalem, Phyſicam atque Botanicen ſpectantia accuratè in hoc opere deſcribuntur. Sumptibus Regiis in Conventu noſtro Maſſilienſi,turrim ad ſiderum contemplationem accomodatam extrui & machinis affabrè elaboratis inſtrui curavit. Obſervationes plurimas manuſcriptas reliquit; ſed hæ ad Regiam Pariſienſem Academiam fuerunt tranſmiſſæ, multaſque penes ſe retinere mihi ſignificavit dum Pariſiis agerem, D. Le Monnier celeberrimus Regiæ Scientiarum Academiæ aſtronomus.

22. *Maignani* diſcipulus fuit *Saguentius* qui magiſtri ſui philoſophiam ad methodum Scholaſticam revocavit. Alia nonnulla typis edidit opera quorum præcipua ſunt de *Speciebus Euchariſticis*; & opuſculum cui titulus: *Syſtema peſtis*. Rerum Geometricarum mediocritèr doctus, ſed linguas hæbream, & Græcam apprimè calluit; manuſcriptum reli-

reliquit *Lexicon Hæbraicum*: & typis edidit *Homilias* Summi Pontificis Clem. XI. e Latino Græcè redditas, & quidem eleganter.

Saguentii discipulus fuit *Josephus Roma* qui magistri sui doctrinam deseruit; Cartesianæ enim philosophiæ fuit acritèr addictus. Hanc publicè per plures annos docuit in Regio Taurinensi Lycæo; ingenii sui acumine, subtilitate & singulari facundiâ non solum existimationem civium omnium sibi conciliavit, sed etiam *Victoris Amedei Regis*, *Caroli Emmanuelis* nunc felicitèr regnantis gratiam singularem promeruit. Tantam sibi pepererat doctrinæ, prudentiæ & sapientiæ laudem, ut Rex sapientissimus *Romam* nostrum *Eugenio Principi*, *Sabaudæ* familiæ pignori inclyto studiorum morumque rectorem adjunxerit, tantum ejus mentis maturitati confidebat. Sed antequam tantâ doctrinæ gloriâ Taurini floruerit, nondum tricesimum annum egressus Philosophiam atque Theologiam Romæ docuerat, eâ quidem laude ut apud Emum Cardinalem *Annibalem Albanum* Clementis XI. Pontificis Maximi Nepotem Theologi titulo atque officio decoratus fuerit; ad quem quidem honorem non ambitu gratiave irrepserat, sed eâ litteraturæ famâ quam ingentem ex Latinis, Græcis, Hæbraicisque litteris sibi comparaverat. Incredibili ferè Latini sermonis elegantiâ valuit, Græcam quoque linguam ità perfectè callebat ut elegantissimè scribere potuerit. In chartis meis latent litteræ a Româ nostro mihi Græcè datæ, tanta quidem sermonis elegantiâ ut linguam Græcam non minùs quam Latinam didicisse videatur. Dolendum sanè quod annos natus nondum quinquaginta præmatura morte ereptus fuerit, dum jam communibus omnium votis, supremus Ordinis nostri moderator designabatur.....

Multos inter Ordinis nostri viros doctrina Mathematica illu-